II, fol. 147. Ludovicus D'ARRAS, Parisinus, cum per sexennium juventuti formandæ curam dedisset quarto Navarræorum ordini secundo præfectus, calatis comitiis in D. Mathurino habitis, omnium ore et consensu designatoribus approbantibus, referente domino Yon, regiæ Navarræ supprimario prudentissimo, fasces procuratorios sustinuit 4° idus aprilis 1596.

Sui magistratus tempore, dominus Vigner, procurator fiscalis, fatis concessit, in cujus locum suffectus est dominus Tyerry.

Calendis junii, eandem provinciam cum secundo sibi demandatam, nemine reclamante, exerceret, ad Rectoratum vocatus 7° calendas julii, non potuit sibi onus a tota Academia impositum refragando subterfugere.

D'ARRAS.

II, fol. XVII. Franciscus ASTUDILLUS, pos[t]quam apud Cænomanos juventutem literas humanas et philosophiam docuit, coacta legetime Natione Gallica in ædem Mathurinorum, consacratum his comitiis locum, quinque tribus quinque designatores ædiderunt, a quibus mira animorum conspiratione procurator est declaratus, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo, die sexta mensis fuebruari.

II, fol. 84. Michael AUBOURG, Cænomanus, cum in quatuor primis

ordinibus literas humaniores docuisset, philosophiæ curriculo præfectus in nobilissima Montanorum familia, habitis solito more comitiis in æde Mathurinorum, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est electus 1565, 4 nonas junii.

Hujus magistratus tempore, multa quæ ad totam Academiam et Nationem Gallicanam spectarent privatim et publice disceptata fuerunt. Ad illam quidem in Jesuistas adhuc summo studio actum est, quod tamen ad exitum deductum non fuit; in bibliopolas pro sigillo Rectoris, qui causa ceciderunt et pro re papiracea, cujus vectigal totius Academiæ diligentia sublatum est. Ad hanc autem causa suscepta est in supremo senatu de domo Squaquarii, in vico Straminis, quæ ut in longos annos pene gratis locata, sic in alienas manus translata, dictæ Nationi quadam ex parte restituta fuit.

Animadvertant autem in posterum procuratores, ne jus quod toti Artium Facultati commune est in audiendis quæstoris Universitatis rationibus corruere, ut superiores, sinant. Debent enim singuli Facultatis Artium procuratores in illis rationibus, ut superiorum Facultatum decani, habere adjunctum, qui æquale cum illis recipiat præmium; id autem pene jam sublatum cæterorum, qui tunc aderant, auxilio restituimus.

II, fol. 52. Nicolaus Audouart, diocesis quidem Parisiensis, patria vero Argentolinus, cum in gymnasio Calvico quadriennium docuisset, primi ordinis apud Barbaranos ductor, coactis more solito ad ædem Divo Mathurino sacram Gallicanæ tribus quinque centuriis ad sextum idus martias, summa omnium consentione, declaratus est et creatus Nationis Gallicanæ procurator anno Domini 1553.

II, fol. 81. Ego Nicolaus Audouart, diocesis quidem Parisiensis, patria vero Argentolinus, cum in gymnasio Calvico juventutem docuissem, primi ordinis apud Barbaranos ductor, coactis more solito, ad ædem D. Mathurino sacram, Gallicanæ tribus quinque centuriis ad sextum idus martias, summa omnium consentione, declaratus sum et creatus Nationis Gallicanæ procurator anno Domini 1565, 12º calendas novembris.

II, fol. 22. Hugo Babinet, Parisinus, postquam juventutem in regali collegio Burgundiæ, quinque annos litteris humanioribus erudisset, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus reclamante, illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator est renunciatus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, tertio nonas maii, die veneris.

Fol. 142. Jacobus Bailly, diocesis Burgiensis, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo septimo, comitiis recte et citra inju-

riam cujusquam apud cœnobium Mathurinorum ex more factis, nono calendas octobris electus fuit procurator, nemine reclamante, venerandæ Nationis Gallicanæ.

J. Bailly.

Eadem die, non fuit electus magister Draco Perotin, alias Frobillon, diocesis Meldensis, et hoc propter incapacitatem.

II, fol. 152. Abrahamus Balesaulx, Trecacinus, majori quam antea hominum eorumque Gallorum turba, renuntiante domino Henequin, bachaloreo primi ordinis et priore Sorbonico, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator renuntiatus est die decima septima decembris anno Domini millesimo sexcentesimo sexto. Quo anno integro absoluto, maximo cum omnium applausu dominus Jolly, vir rectorius, creatus ejusdem Nationis procurator, cui eodem die sigillum Nationis, et claves et alia ejusmodi, quæ Nationis erant, dedi, prius tamen, more solito, adhibito in Nationem fidelis et benevoli animi juramento, idque coram dominis decano et pluribus aliis, qui illius creationi aderant.

A. Balesaulx.

II, fol. 41-42. J. Banneret, pr[ocurator] h[onorandæ] N[ationis Gallicanæ], 1642, 7 maii.

II, fol. 135 v°. Magister Joannes Banneret, Rhemensis, Sorbonicus in Theologiæ sacrâ Facultate Parisiensi baccalaureus et in Collegio Rhemensi philosophiæ professor, creatus est, omnibus consentientibus et applaudentibus Gallicanæ Nationis tribubus, ac renuntiatus honorandæ Nationis procurator die septima maii anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, qua die M. Renatus Robeville laureâ doctorali donatus est, ipsius antecessor. Hoc autem magistratu abdicavit sedecima die octobris 1643; cui successit M. Petrus Martin, Navarricus. Datum Parisiis, in Sorbonicis ædibus, die decima octobris anno Reparatæ Salutis humanæ 1643.

J. Banneret, p[rocurator] h[onorande] N[ationis].

II, fol. 138 v°. Mathæus Bardolius, Cænomanus, solemnibus habitis apud Sanctum Mathurinum comitiis, uno ore et totius Academiæ consensu, Galliæ procurator fuit designatus anno Domini 1582, die vero 6. mensis martii.

M. Bardoul.

Fol. 137 v°. Nicolaus Baron, diocesis Parisiensis, procuratorium munus adeptus est, nemine reclamante, 18ª mensis novembris anno Domini 1527.

N. Baron.

Fol. 170. Nicolaus Baron, Parrhisinus, electus est procurator Nationis Gallicane 18 novembris anno Domini 1527.

N. Baron.

II, fol. 54. Josephus Basot, Heduus, post institutam in literis humanioribus Lutetiæ juventutem et dimensum in philosophia stadium, numero bursariorum Theologorum regalis collegii Navarræ ascriptus, convocatis, ut moris est, apud ædem Mathurinorum comitiis, uno eodemque consensu quinque tribuum honorandæ Nationis Gallicanæ, ejusdem Nationis procurator est designatus anno redemptionis generis humani 1554, die vero undecima mensis februarii.

II, fol. 123. Carolus Baudart, Parisinus, procurator honnorandæ Nationis Gallicanæ est renuntiatus 2º junii 1600; successit domino Laurentio Bourceret, in sacratissima Theologiæ Facultate licentiato, Regiæ domus Navarræ Artistarum primario nec non provinciæ Senonensis decano meritissimo.

C. Baudart.

Habuit successorem dominum Anthonium Vallot, amantissimum; magistratum abiit novembris 1600.

II, fol. 149 vº-150. Carolus Baudart, Parisinus, post multos susceptos labores in erudienda juventute, tandem è docendi spatiis ad quietem et otium traductus, cum in Calvica domo quasi dormitaret, ad honoris simul et oneris procuratorii fasces est excitatus. Itaque, convocatâ ad ædem Divo Mathurino sacram Natione Gallicana, uno ore, omnibus approbantibus, 2º junii anno salutis 1600, a quinque designatoribus procurator honorandæ Nationis Gallicanæ est nominatus. Magistratu se abdicavit 18 novembris 1600. Successit domino Bourceret; successorem habuit dominum Gallot. Ejus acta rata et probata fuere.

Mei magistratus tempore, orta est contentio de rectoratu inter dominum Joannem Le Mercier, licenciatum in Medicina, tertiò rectorem, et dominum Antonium Fusil, licenciatum in Theologia, tandem ex S. C. nova facta est electio et electus est dominus Martinus Gigour, tertiæ apud Calvicos classis moderator.

Eodem tempore, promulgata apud Mathurinenses reformatio Academiæ fuit, idque jubente Majestate Regiâ, dominis de Thou, Cocquelet, Mollé et Servin præsentibus, aderatque rector Martinus Gigour, cum fascibus rectoriis, procuratoribus et adjunctis Academiæ, cum apparatu decenti et ut conveniebat, et decanis superiorum Facultatum, primariis Collegiorum et suppositis Universitatis, tandem tota Academia convenerat.

Tunc temporis erant procuratores : pro Gallia Carolus Baudart, pro Picardia Jacobus Saulmon, pro Normania Thomas Mollin, pro Germania Petrus Valens.

Carolus Baudart.

II, fol. 120 vº. Petrus Beaulieu, theologus Navarricus, Tussa-

num Moricium in honoranda Gallorum procuratoria secutus est [anno 1577].

P. BEAULIEU.

II, fol. 99 et v°. Ego Gulielmus BELLE, Parisinus, cum in grammaticis rhetoricisque artibus per quatuor annos celeberrimi lycei Rhemensis juventutem, per quatuor annos jam curriculi philosophici emenso anno de rerum initiis disserentem Aristotelem interpretari cepissem, convocatis pro antiqua et laudabili consuetudine honorandæ nationis Gallicanæ quinque centuriis, renunciante D. Marand, bacchalaureo Medico, summo dignitatis procuratoriæ, nemine alumnorum ejusdem Nationis reclamante, insignia et fasces recepi anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, die vero 16° februarii.

Mei magistratus tempore, reclamantibus omnibus superioribus Facultatibus necnon /////// //////// (deux mots grattés), musices et poetices Academia, quam instituere affectabat Baïfius, Gallicus poeta, tanquam reipublicæ literariæ ruina, explausa fuit, eodemque Baïfio, invicti regis nostri Charoli noni, Reginæ matris, multorumque principum chirographa publicis comitiis ostendente, sic enim præsentiebant omnes sub columbina specie teterrimam caudam latitare scorpionis. Erat Baïfio authoritas codicilaris vel placita a principe eblandita, nichilominus tamen supremus senatus rem toti Academiæ commutandam est arbitratus, priusquam hujuscemodi Academiæ (si Academia dici debeat) admitteretur.

Eodem tempore orta est contentio de decanatu Parisiensi inter D. Bigotium et D. Conteum, verum de decanatu nihil decretum, quia provocatio facta est ad supremum senatum.

Tunc temporis rector erat D. Gabriel de Beronne.

G. BELLE.

II, fol. 43. Thomas BELLUS, Lingonensis, oriundus a Castrovillano, Navarricus, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ 1550, fuit insignitus.

II, fol. 104. Stephanum BENARD, Parisinum, cum, perlustratis variis provinciis, juventutem Plessæam biennium philosophiæ abdita docuisset, in scholam Marchianam ad rhetorum facundiam et poetica figmenta interpretanda vocatum, comitiis ad Divi Mathurini ædem convocatis, selecti viri per singulas Gallicanæ Nationis tribus, renunciante Jacobo de Cueilly, procuratorio magistratu septimo calandas septembris decorarunt anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Stephanus BENARD.

II, fol. 58. Nicolaus BENNART, diocesis Remensis, postquam Calvicam et Barbaranam aliquot annos in grammaticis et triennio inclytæ

Justiciæ juventutem in philosophia excoluisset, secundo apud eandem Justiciam dialecticorum ordini præfectus, habitis apud Mathurinos, pro more, comitiis, uno eodemque omnium consensu a quinque tribuum Gallicarum designatoribus illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator est creatus anno Domini 1555, die vero nona martii.

II, fol. 106 *bis*. Julianum Beræum, Lavalensem, frequentibus comitiis, quinque tribuum delecti viri procuratorem honorandæ Nationis Galicanæ, renuntiante domino Moreau, anno Domini 1573, septimo idus junii, cum annis octo rexisset, nemine repugnante, designarunt.

Hujus magistratus decursu, monumenta Nationis Galicanæ certo cathalogo fuerunt comprehensa et in libro a scriba descripta.

Præterea Henricus de Voloys, filius et frater Regis, Andium dux, electus fuit rex Poloniæ, et præsentibus septem illustrissimis Polonis legatis et Galiæ proceribus, triumphans per portam Sancti Anthonii Lutetiam est ingressus, accepto prius in Palatio corona et diademate regio.

Denique publicani quidam, Regis præmissa voluntate, privilegia Academiæ voluerunt abolere, sed suasore cardinali a Borbonio, illorum conatu irito facto, nihil detrimenti in suis immunitatibus passa est Academia.

Fol. 189 v°. Joannes Berault, diocesis Remensis, functus est munere procuratorio anno Domini millesimo quingentesimo undecimo in idibus martii et aprilis.

II, fol. 153. Domino de Mincé successit Joannes Berault, Parisinus, in saluberrima Medicorum Parisiensium Facultate bacchalaureus, Medicorum Franciscanorum et Sorbonicorum paranymphus, et Becodianus professor, referente doctissimo et cultissimo viro Simone de Montereul, in sacra Theologia baccalaureo, socio Sorbonico et ecclesiæ Altissiodorensis archidiacono majore et canonico, die 24. mensis martii anni Domini 1616. Prorogatum ei procuratoris munus ad primam usque aprilis anni Domini 1616.

II, fol. xvi. Gulielmus Bernard, natione Burgundus, diocesis Cabilonensis, quatuor post menses, quum instituendæ juventutis provinciam intermisit in celeberrimo Burgundionum gymnasio, quarto idus martii, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis suffragantibus, illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator est renunciatus anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

II, fol. 87. Nicolaus Bernardus, habitis, ex more, in æde Mathurinorum comitiis, omnium consentientibus suffragiis, septimo calen-

das septembris, Nationis Gallicanæ procurator electus anno Domini M. [V]c. sexagesimo sexto.

N. Bernard.

Fol. 188 vo, 20 vo et 48. Claudius Berthotius, Lingonensis, in munus procuratorium, comitiis legitima consuetudine celebratis in æde Maturinorum, 14 kalendas decembris, anno Domini 1535, provectus est, summa fide quinque designatorum : in provincia Parisiensi, M. Nicolai Dugast; in Senonensi, M. Jacobi de Aula; in Remensi, M. Florentini Jacquart, rectorii viri, primarii Collegii Marchiæ et bacchalarii Medicinæ; in provincia Turonensi, mag. Caroli de Launay, bacchalarii Medicinæ; in Bituricensi, M. Michaelis Melitii, Rhodii.

C. Berthot.

II, fol. 73. Ferrandus de Bez, Parisinus, cum humaniores literas in regio Burgundionum lyceo et in Bonorum Puerorum gymnasio per sex annos professus fuisset, et nationes externas per novem perlustrasset, iterum easdem literas profiteri cœpit in collegio Calvico. Cum autem classicis in Bonorum Puerorum schola præesset, convocatis ad Divi Mathurini comitiis, a quinque viris selectis dominis Anthonio Tremblay, Claudio Roilletio, rectorio munere defuncto, Francisco Taulpin, Guillelmo Turquam et Guillelmo Malerbaut, nemine omnino refragante, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est electus anno Domini millesimo quingentesimo uno et sexagesimo, septimo idus aprilis.

Ferrandus de Bez.

II, fol. 104 vo. Symon Bigotius, Parisinus, Facultatis præclaræ Artium doctor, decanus provinciæ Parisiensis, procurator fuit designatus, omnium suffragiis, comitiis celeberrimis habitis apud Mathurinenses, viris quinque designatis ex unaquaque tribu, designatore referente domino Qutheo, calculis omnium est comprobatus, die 21. octobris anno salutis 1572, ætatis suæ 38, suæ vero laureolæ adeptæ 22.

Tempore sui magistratus, die vigesima tertia novembris, legatus a latere summi pontificis Gregorii 14. missus est ad Regiam Majestatem, pompa percelebri ab omnibus Parisinorum ordinibus, Regio jussu, exceptus est.

Eodem tempore, die 13a mensis decembris, exorta est contentio inter dominum Anthonium Tremblay, primarium Collegii Barbarani, virum rectorium, et dominum Johannem à Tournera, qui a domino Rectore et selectis viris convocatus, honeste et modeste admoneretur, superbe respondens ac insolenter se gerens, eos parvi fecit ac irrisit. Qua de re commoti eum Johannem à Tournera ab exercitio et docendi munere privarunt, idque conclusione et firma

deliberatione stabilierunt viri illi graves, qui talem insolentiam audierunt et viderunt.

S. Bigot.

II, fol. 144. Symon Bigotius, secundo procurator Galliæ designatus est die lune II. calendas novembris 1584, omnium calculis ac suffragiis, referente domino Filasceo, peripatetico subtilissimo et contribuli facundissimo, ac classico Marchiano, idque omnium aplausu, et præcipue ob absentiam magistri Joannis Nicolas, prædecessoris et fasces procuratorias sustinentis in hac dignitate procuratoria.

Die lunæ 15° calendas decembris 1584, eadem in die in qua nova auguratio domini Halmitonii rectoris facta est comitiis Mathurinensibus publicis, idem Bigotius, provinciæ Parisiensis decanus, tertio fasces procuratorias sustinere est impulsus, suffragantibus omnibus ordinibus.

II, fol. 88 v°. Philippus Binoys, Parisinus, postquam 4. annos continuos, partim in Barbarana, partim Calvica schola, literas humaniores docuisset, cumque tertio ordini et nobili Plesseorum gymnasio præfectus esset, unanimi quinque decuriarum applausu procurator honorandæ Nationis Gallicanæ nominatus est anno Domini 1567, idibus februariis.

II, fol. 48 v°. Anthonius Blanchet, Parisinus, cum in famatissimo Cœnomanorum gymnasio ilico post adeptionem sui gradus integrum cursum absolvisset, cumque denuo alterum apud Marchianos regeret, habitis pro more comitiis illustrissimæ Nationis Gallicanæ, procurator a quinque tribuum designatoribus est declaratus, nemine repugnante, anno Domini 1552, die vero 16ª mensis decembris.

— Bleveus. Voir Le Blef.

Fol. 175, 186 v° et 189. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio, sexto idus martias, conjunctis omnium suffragiis nulloque intercedente, denuntiatus est procurator Gallice Nationis M. Philippus Boisotius, Rollandus, diocesis Nivernensis.

P. Boisot.

II, fol. 82 et v°. Ego Gulielmus de Boissy, Pontisaranus, cum in primis secundisque ordinibus per quatuor annos scholæ Rhemensis juventutem edocuissem atque in numerum saluberrimæ Facultatis Medicinæ bacchalaureorum cooptatus essem, convocatis pro laudabili more quinque centuriis honorandæ Nationis Gallorum, a delectis cujusque centuriæ designatoribus, renunciante D. Martino Giralt, bachalaureo Medico, summo omnium consensu procuratoriæ dignitatis purpura atque fascibus sum insignitus 4° idus februarias 1564.

Domus quædam deserta in vico Straminis, ex una parte scholis Gallorum adhærens, ex altera parte scholis Normannorum, locata est in sexaginta annos magistro Petro Meresse, majori Nationis ejusdem apparitori, ita ut illam secundum formam contractus extruat, et quotannis Nationi persolvat triginta libras; reliquæ conditiones apertius intelligi poterunt ex contractu quem obsignarunt duo regii notarii Fardeau et Perier.

De Jesuistis. — Magistratus mei tempore, omnibus Academiæ ordinibus efflagitantibus, Jesuistarum causa adversus Academiam suscepta innumerabili hominum frequentia (quantum amplissimis Palatium capere non potuit) concurrente in supremo senatu, non minori eloquentia quam jurisprudentia claris utrinque decertantibus patrónis, summa omnium admiratione, bis acta est, nec tamen judicata. Ex omnibus autem patronis qui hanc magnifice causam egerunt inter cæteros unus vel facile excelluit patronus regius Du Ménil; deinde vero eloquentium jurisconsultissimus Paschasius, Universitatis vindex et deffensor acerrimus, Jesuistarum postremo advocatus, ut facundia sic versutia clarus, Versoris.

II, fol. 83. Túnc tempore rector erat Johannes Faber, bacchalaureus medicus; procuratores vero singularum Nationum : Gallicanæ, Gulielmus de Boissy; Picardiæ, Vaillant; Normaniæ, Maubuisson; Germaniæ autem, Langes.

1564, ante Pascha, sub finem martii et aprilis initium.

Gulielmus DE BOISSY.

Fol. 52. Unanimi omnium consensu et suffragiis nulla in re disparibus, 4° idus martias, Marcus BOLU, Nivernensis diocesis, electus fuit in eximium munus procuratorium perillustris Nationis Gallicane; destitutus autem sine ulla rei perperam geste, quæ nulla etiam coacta est modo imputatione; cui successit eruditionis exquisitæ et probitatis Julianus Calumellus, Cenomanensis [anno 1524].

M. BOLU.

Fol. 9 v°. Magister Thomas BOLU, diocesis Nivernensis, de regali Collegio Navarre, fuit electus in procuratorem venerande Nationis Gallicane, nemine contradicente, anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo, die jovis decima februarii.

II, fol. 119 et v°. Jacobus BONNART, Espanciasi natus, qui pagus est Castrotheodorici finitimus, diocesis Suessionensis, cum quatuor annos continuos humaniores literas apud Bellovacos esset professus, celebratis in Mathurinensium æde comitiis, firmissimo quinque designatorum ex totidem tribubus Gallicæ Nationis assensu, procuratoria dignitate, undecimo calendas novembreis, cohonestatus est anno ab orbe redempto 1576.

Tempore hujus magistratus, apud Mathurinos publicis comitiis, conclusum est ut tam jurati quam non jurati librarii, si quos adulterinæ doctrinæ libros haberent, comburendos curarent, deque sua fide apud Rectorem profiterentur.

Atque decretum est ut primarius Barbaranus, D. Tremblay, honestam portionem suo logico daret, ea tamen lege ut logicus cœptum cursum persequeretur et pro singulis convictoribus quinque libras primario persolveret, secundum reformationem cardinalis de Totavilla.

Ad supplicationem autem M. Jo. Canarti, censoris Galliæ, statutum etiam est ut ////////////////////// excluderentur, idque a quatuor Facultatibus.

A tota vero Natione Gallicana ad ejusdem censoris postulationem decretum est ut procuratores ab eo juramento liberarentur quo se non ultra quatuor solidos Parisiensium pro nuntii resignatione aut creatione accepturos cum summam salutis jacturam promittebant, et ad id tantum se adstringerent ut non nisi quod libere a nuntiis oblatum esset in posterum reciperent.

Ad ejusdem quoque suplicationem conclusum est ut jentaculum illud, quod futurus procurator ante suam electionem in præcedentis prorogatione dare solebat, in propriam cujusque prorogationem transferretur, ut Natio Gallicana non modo culpam sed et omni suspitione culpæ ambitus careret et ne suffragia, quæ libera esse oportet, aliqua re astringerentur.

J. Bonnart.

II, fol. 37 v°. Ludovicus Bonneau, secundus et bursarius in famatissimo Cænomanorum collegio, convocatis in ædem Mathurinorum quinque Gallicanis decuriis ibidemque comitiis, ut moris est, habitis, anno ab orbe redempto quadragesimo octavo supra sesquimillesimum, die vero decimo sexto calendas januarii, una omnium voce clarissima summoque consensu conspiranti ac pene conflato, a quinque Gallicarum tribuum designatoribus honorandæ Nationis Gallicane procurator est nominatus; cujus electio decanis et cæteris omnibus rata, grata et confirmata est, non sine magno applausu et gaudio.

L. Bonneau, Cænomannus.

II, fol. 102 v°. N. de Bonvilliers, Parisinus, humaniores artes quadriennio professus, cum secundo ordini apud Barbaranos esset præfectus, comitiis apud Divi Mathurini ædem pro more habitis, nemine reclamante, designatus est procurator, domino Gulielmo Lucano, Lexoveorum primario renuntiante, anno Domini 1572, 19 calendas februarii.

Mei magistratus tempore magister Simon Bigot, Plesseorum pri-

marius, publicis apud Mathurinenses comitiis habitis, consensu omnium provincialium provinciæ Parisiensis, presente domino Rectore, Johanne Hervy, ejusdem provinciæ decanus declaratus est anno Domini 1572, vigesima sexta die januarii.

Ejusdem mensis die ultima, apud Sanctum Julianum, preclara Artium Facultate convocata, super electione examinatorum statutum fuit, suplicante censore Picardiæ, ut quadrinviris seu designatoribus rectoriæ dignitatis pro commodis quatuor tantum aurei concederentur.

Apud regiam Navarram virorum selectorum judicio, 3. die martis, lis de obsignandis laureandorum literis inter D. Anthonium de Tramblay, scholæ Barbaranæ primarium, et D. M. Mercatorem, Becodianum primarium dirempta fuit; D. enim Mercator, superioribus annis collegii Barbarani primarius, suplicaverat ut, tanquam testis oculatus magistrandorum ejusdem collegii, tabellas obsignaret, quod illi denegatum fuit, quod non amplius Barbaranorum esset primarius, preterea et nulli articuli ad reformandam Academiam pertinentes producti fuere.

De Bonvilliers.

II, fol. 136 v°. Joannes Boucher, Parisinus, baccalaureus Theologus ac Sorbonicus socius, habitis apud Mathurinenses comitiis, a quinque Nationis Gallicanæ designatoribus ejusdem Nationis procurator est nominatus 21 octobris anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo.

Hujus magistratus tempore, ad supplicationem D. Bigotii, tum censoris Gallicani, conclusum est, ut juramentum illud quo se proratores nihil a nuntiis pro eorum ad hoc officium promotione accepturos promittebant, nuper quidem in speciem emendatum, revera autem æquè atque anteà in lapsum proclive, causa præsertim mutata et contraria consuetudine multis ab hinc annis recepta, penitus tolleretur, ab eoque tum procurator ipse, tum qui eum præcessissent solverentur.

Eodem tempore luctuosum illud sacræ Franciscanorum ædis incendium, incertum casu ne an consilio factum, magno bonorum omnium dolore, manifesto certe divinæ providentiæ argumento, quæ flammas a vicinis ædibus prohibuit, incredibili celeritate, nocte intempesta accidit, die sabbathi 19 novembris.

Quo die procurator magistratu isto defunctus et in rectorem electus est, 16 nempe decembris; postulante eodem procuratore, superior illa de expungendo juramentorum articulo conclusio, quæ inter paucos, grassante videlicet pestilentiæ lue, facta extiterat, frequentioribus comitiis probata atque confirmata est. Hoc insuper additum ut in ejurando resignandoque nuntiatus officio videat dili-

genter procurator ut omnia resignantis sive ejurantis diplomata adferri ad se atque lacerari curet, quod et inter sacramenta Procuratorum continetur.

J. Boucher.

II, fol. 49. Stephanus Boucher, licenciatus Theologus, socius Sorbonicus, et apud Montanos sexto anno philosophiam publice doctus, a quinque designatoribus, quorum singulos singulæ tribus delegant, unanimi consensu honorandæ Nationis Gallicanæ procurator renuntiatus est, et statim apud D. Fransciscum Vinot, cui e magistratu decedenti succedebat, præsente universa Natione, sacramentum præstitit, die decimo mensis octobris anni Domini millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni, in Maturinis, fascesque procuratorios gessit.

S. Boucher.

II, fol. 147 v°. Ipsi [Francisco Vinot, anno 1658] successit Stephanus Boucher, Parisinus, baccalaureus Theologus, socius Sorbonicus, nec non apud Montanos philosophiæ professore.

Fol. 48 v°. Magister Robertus Bouchigny de Monasteriis in Partico, diocesis Carnotensis, procuratorio Gallicane Nationis munere functus est die secunda mensis junii anno ab incarnati Verbi misterio quingentesimo vicesimo tertio supra millesimum.

Fol. 129 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto, die vero vigesima quarta mensis octobris, inivit Gallicane Nationis inprimis decorande procuratoris officium magister Petrus Bougler, diocesis Cenomanensis.

P. Bougler.

II, fol. 89 et 150. Maceus Boulanger, Parisinus, procurator, 1589.

— Boullayus (Michael). Voir Du Boulay.

II, fol. 138 v°. Laurentius Bourceret secundum procurator factus est decimo quinto mensis novembris anno Domini 1581.

L. Bourceret.

II, fol. 79. Medardus Bourgeotte, e Ruliaco ortus, diocesis Suessionensis, dum secundo ordini apud Justitianos præesset, vocata ad ædem Divo Mathurino sacram honoranda Natione Gallicana, comitiisque pro more habitis a quinque designatoribus ejusdem illustrissimæ Nationis, nullo prorsus reclamante, est procurator electus, doctissimo domino Gilmerio renuntiante, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, die vero decima quarta mensis januarii.

M. Bourgeotte.

II, fol. 74 v°. Claudius Boutheroue, Carnotensis, cum secundo

ordini præfectus esset apud Haricurianos, decimo quarto calendas novembris illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator nominatus est anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

II, fol. 35. Gabriel Boylleau, Carnotensis, cum philosophiæ cursum apud Justiciarios peregisset et logicis Montanis preesset, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus repugnante, Nationis Gallicane procurator est renunciatus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, die vero decima tertia mensis januarii.

Fol. 143. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, Honoratus de Boyssy, diocesis Parisiensis, creatus fuit procurator Nationis Gallicane, comitiis in æde Mathurinorum ex more factis, nemine etiam reclamante, septimo idus aprilis.

H. de Boyssy, Pontisarensis.

Fol. 188 v°, 144 et 47 v°. Petrus Brebier, diœcesis Carnotensis, creatus est procurator illustrissime Nationis Gallicane, apud ædem Divi Mathurini, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo primo, die vicesima tertia mensis septembris.

P. Brebier.

— Brectius. Voir Le Brec.

II, fol. 73 v°. Joannes Brice, Carnotensis diocesis, post edoctam a se toto quinquennio juventutem apud regiam Navarram, dum classicis moderatur, indictis pro more comitiis ad ædem D. Mathurino sacram, omnium suffragiis a decuriarum quinque designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est electus anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo, quarto calendas junii. 1561, 27 septembris.

J. Brice.

Fol. 140 v°. Jacobus Bridou, Suessionensis, apud Burgundiones Artium professor, nemine reclamante, designatus est illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator anno Domini sesquimillesimo tricesimo quinto, idibus januarii.

J. Bridou.

II, fol. 34. Nicolaus Brigardus, Athigniensis, Rhemus, convocata ad id negotii Natione Gallicana, quo tempore apud Calvicos logicorum ordini præesset, comitiorum magna cum tranquillitate, delectus est procurator Galliarum anno post B. Virginis partum M. quingentesimo quadragesimo septimo, die 9. calendas mensis octobris.

II, fol. 87 v°. Joannes Brigaulet, diœcesis Lingonensis, philosophiæ et bonarum artium in collegio Rhemensi professor, vocata ad

ædem Divo Mathurino sacram honoranda Gallicana Natione, comitiisque pro more habitis, a quinque designatoribus electus; eum dominus Vuidius, græcæ latinæque linguæ peritissimus procuratorem nominavit anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, 12 calendas novembris.

Jo. Brigaulet.

II, fol. 74. Remigius Brillet, Rhemensis civis, in famatissimo Constantiensi, sive Harcuriano collegio regens, habitis, pro more, apud Mathurinorum ædem comitiis, quietis quinque decuriarum designatoribus, qui erant Gilmier, Millon, Le Beau, Du Boullay et Malerbault, viri literatissimi atque probatissimi, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est electus vigesima tertia septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

Hujus magistratus tempore, conclusum fuit apud regiam Navarram, 27ª septembris, ut pecuniæ, quæ certis quibusdam anni diebus distribuuntur, quas appellant majores distributiones, solummodo distribuerentur presentibus tam decanis quam preceptoribus, et ut antiquiores magistri, in absentia decanorum, sederent et fructum perciperent.

Decima septima octobris, conclusum fuit a selectis viris et censoribus, apud ædes Haricurianas, ad Rectorem convocatis, ut pari jure uteretur et tantam pecuniarum summam perciperet Natio Germanorum ac ceteræ nationes in designando rectore, neque ullum magistratum assequi possent, nisi qui legitimum tempus rexissent aut in superioribus Facultatibus promoti essent et habitarent in collegio famato; quod confirmatum fuit 27ª ejusdem mensis, apud ædem Divi Juliani a cæteris omnibus Nationibus. Natio autem Germana se amplius deliberaturam respondit.

II, fol. xvii. Renatus Brisset, Cenomanus, postquam juventutem per triennium docuit in collegio Plesseyo humanas litteras, et in eodem factus bursarius, septima aprilis, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus reclamante, honorande Nationis Gallicane procurator est renunciatus anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo tricesimo nono.

II, fol. 41-42. Anno redemptionis humanæ millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero undecima februarii, munere procuratoris honorandæ Nationis Gallicanæ perfunctus est Lazarus Broichot, apud Burgundos secundo philosophatus et Navarricus bursarius, qui, ore omnium uno, comitiis in æde Mathurinorum pro more habitis, a quinque tribuum designatoribus ad eam provinciam suscipiendam fuerat ascitus.

Fol. 168. N. Bruneau, Nationis Gallicanæ pro[curator].

Fol. 175 v° et 122 v°. Anno a Christo nato millesimo quingentesimo tricesimo tertio, die vero I. mensis novembris, sub horam octavam, electus fuit procurator honorande Nationis Gallicane Guillermus BRUNEL, diocesis Claromontensis, comitiis recte et citra cujusquam injuriam apud cenobium Mathurinorum ex more factis, nemine reclamante.

G. BRUNEL.

Fol. 175 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio, adeptus est munus procuratorium honorande Nationis Gallicane Guillermus BRUNEL, regens sommulistarum regalis collegii Navarræ, comitiis recte et citra cujusquam injuriam apud Maturinorum cenobium ex more factis, nemine reclamante.

G. BRUNEL.

II, fol. XVIII. Antonius BRUNET, Boïus, revolutis septem annis integris cum dimidio in curriculo grammatices professionis in erudienda juventute, quatuor videlicet in nominatissimo Bonorum Puerorum gymnasio, tribus in regali collegio Campaniæ, alias Navarræ, ad classicum ordinem usque. Anno sequenti impetrata quiete, comitiis publice denunciatis de more, quinque designatorum ex singulis tribubus ad id vocatis et delectis, renunciatione coram facta, uno eodemque consensu et ore, nemine interim obstrepente nec reluctante, honorandæ Nationis Gallicanæ est canonice dictus et declaratus [procurator], idque in claustro Maturinorum, loco ad id dicato, anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo tricesimo nono, die vero decima tertia mensis januarri.

Fol. 47 v°, 53 v° et 186 v°. Nicolaus BUIRRETTE, Suessionensis, uno omnium ore fuit electus ad obeundum procuratorium venerandæ Nationis Gallicanæ, tertio nonas maii anno 1534°, in gymnasio Calviaco.

N. BUIRRETTE.

— BULÆUS. Voir DU BOULAY.

II, fol. 98. Hugo BURLAT, Parisiensis, peracto triennio in erudienda cum in grammaticis, tum in rhetoricis juventute in famatissimo Montis Acuti gymnasio, post autem philosophico stadio apud Prælæos fœlicissime ad mensem duodecimum emenso, pacta conditione de eodem stadio apud Montanos repetendo, et superiore interrupto, ob cujusdam Universitatis inimici adventum, a quinque decuriarum Gallicarum designatoribus, renunciante magistro Antonio de Tramblay, gymnasiarcha Barbarano, et nemine reclamante, declaratus est procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, die vero vigesima sexta augusti.

Hujus magistratus tempore, dignissimus Academiæ Parisiensis rector, Dominus Saguierius, in sacratissima Theologiæ Facultate baccalaureus, a Christianissimo Francorum rege, Carolo nono, 6° calendas octobris, literas obtinuit, quibus cautum fuit ne quis hereticus in eadem Academia juventutem, aut publice, aut in ædibus privatis, humaniores literas, aut quamcumque scientiam, profitendo edoceret, et ne ab officiariis Universitatis Parisiensis vænirent libri corruptæ et depravatæ doctrinæ nota inquinati, et potestatem fecit domino Rectori et viris aliquot ex Theologiæ Facultate selectis examinandi libere quoscumque officiariorum libros, ne perversæ vitæ consuetudine labefactata dicta Universitas (quæ suo sinu studentes ex omnibus orbis terrarum partibus confluentes fovere solet) majorum seditionum causam in posterum excitaret. Cujus voluntatis regiæ postea ejusdem D. Saguierii successor dignissimus D. Claudius Becquetius, in Theologia baccalaureus, diploma in manus suas, volente Rege Christianissimo, depositum excipit idibus octobris 1570.

H. B.

II, fol. XVIII v°. Joannes CALVINUS, Senonensis, ex celebri Allantica valle oriundus, cum in collegio Dive Barbare et Plessiaca domo juventutem quattuor annis erudiisset, procurator honorande Gallicane Nationis declaratus est anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, quarto nonas maias.

Fol. 9 v°. Philibertus CAMBROSIUS, alias Fichon, Lugdunensis, procurator fuit designatus 23 die septembris 1519, in Burgundionum liceo.

II, fol. 106. Joannes CANNARTUS, baccalaureus Theologus, Cardinalitiæ domus alumnus, Bezuaci natus, qui pagus est Castrotheodorici finitimus, diœcesis Suessionensis, cum sex annos humaniores litteras apud Calvicos et Cardinalitios esset professus, atque cursus philosophici suscepti annum tertium attigisset, decimo et magisterii et professionis suæ anno, ætatis 38, propter animi sententiam, die electionnis, M. Cl. Palliot absens, in publico præceptorum Nationis Gallicanæ conventu, ad proximam procuratoriam dignitatem, nùllo reclamante evocatus, terminato bimestri, Gallicana Natione solito more ad Mathurinos convocata, annuentibus omnium votis, renunciante M. Cl. Francæo, procurator est creatus anno Domini 1573, quarto idus februarii.

Hujus magistratus tempore, orta est contentio inter Facultatem Artium et Juris pontificii ordinem, quod hic ordo, spe majoris utilitatis et corradendæ atque emungendæ undique pecuniæ, inter privatos parietes, imò sæpe inter pocula, suos baccalaureos promoveret. Negotium viris selectis est commissum, quibus semel atque

rogandum esse censuerit procuratoriisque fascibus iterum cohonestarit 22. mensis octobris.

Hujus magistratus tempore Chr. Thuanus (gallice Christophle de Thou), senatus princeps, vir et de literis bene meritus et in Parisiensem Academiam egregie animatus, fato concessit, ad cujus funus tota convenit Academia ad clarissimi viri exequias cohonestandas.

Eodem tempore, senatusconsultum factum est et per Academiæ compita promulgatum, ut qui in urbe juventuti præessent, suum et suorum nomina fidem religionemque catholicam apud Rectorem profiterentur.

G. Chenart.

II, fol. 25 v°. Henricus Chollet, diœcesis Remensis, naturalis professor philosophiæ in celeberrimo Cardinalis Monachi gymnasio, vocata ad Divi Mathurini Natione Gallicana comitiisque pro more habitis, fuit a quinque designatoribus quinque provinciarum illustrissimæ Nationis Gallicanæ, nemine prorsus reclamante, procurator electus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, die vero vigesima sexta augusti.

II, fol. 24. Joannes Cointerel, provinciæ Parisiensis, Meduntæ oriundus, curriculum philosophiæ in collegio Coqueret prosecutus in juventute erudienda, summa Gallorum concordia et singularum provinciarum consensu eodem, apud Mathurinos, ut moris, coacta, a quinque designatoribus quinque provinciarum Nationis Gallicane procurator electus est anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, decima tertia januarii.

Fol. 170 v°. Joannes Collineus, diocesis Cathalaunensis, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto, die februarii decima, electus fuit in procuratorem honorande Nationis Gallicane, nemine refragante.

J. Collin.

II, fol. 153 v°. Anno 1677, xi[a] die octobris, electus est procurator honorandæ Nationis, in comitiis Mathurinensibus, a tota Natione, M. Bernardus Colon, Lingonensis, emeritus eloquentiæ professor in Marchiano, rejectis duobus ejus competitoribus, M. Baudouin et Courtin, uxoratis.

B. Colon, procurator honorandæ Nationis.

II, fol. 32. Antonius Coquier, Gratianopolitanus, metaphysicus et bursarius in regali gymnasio Navarræ, indictis, ut moris est, comitiis, uno eodemque consensu omnium a quinque tribuum Gallicarum designatoribus viris primariis et lectissimis Nationis Gallicanæ procurator est creatus anno Domini 1546°, die vero 16[a] mensis decembris.

II, fol. 146. Marcellinus Corderius, diocesis Lugdunensis, postquam tres annos Plessæam juventutem in 2o ordine docuisset, eidemque ordini annum apud Lexoveos prefuisset, nunc ordini 3o præpositus, comitiis ad Sanctum Mathurinum de more indictis, omnibus omnium provinciarum designatoribus unam in sententiam conspirantibus, referente D. J. Seguier, 4o nonas junii, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est renunciatus.

M. Cordier.

Fol. 131 vo. Magister Dionysius Corron, Carnotensis diocesis, fuit electus procurator venerande Nationis Francie anno Domini 1518, vicesima die mensis octobris, in regali collegio Burgundie.

Corron.

Fol. 137 vo. Anno Domini 1518, die novembris secundo, congregatione debite facta in Mathurinis, per juramentum ex matura deliberatione suppositorum venerande Nationis Gallicane et, ut dicunt, a pluralitate vocum magister Dionysius Corron, Carnotensis, procurator supradicte Nationis Gallicane, conclusit quod fieret sacellum sive capella supratacta ratione et ad id procedendum esse per tres conclusiones.

D. Corron, procurator.

II, fol. 64 vo. Joannes Cotreau, Remensis, post emensa spatia luctæ philosophicæ apud Justicianos, dialecticorum ordini prefectus apud regiam Navarram, comitiis apud Sanctum Mathurinum habitis, designatus est procurator Nationis Gallicane quinto idus martii 1557.

II, fol. 40. Stephanus Coullet, Sylvanectensis, post eruditam in philosophia juventutem in gymnasio Rhemensi, tribus annis aut plus eo, cumque idem docendi munus in collegio Plessiaco administra[ret] phisicorum prefectus, convocatis tribubus Gallicæ Nationis in æde Mathurinorum, sexto idus martias, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo, a quinque prudentissimis tribuum Nationis Gallicane designatoribus procurator est creatus.

II, fol. 152. Gabrieli Coulon a quindecim annis in Artibus magister (quibus aut privatim aut publice in celebri Lexoveo docuit), canonicus prebendatus Sancti Marcelli prope Parisios et rector parochialis ecclesiæ Sancti Hypoliti, omnium tribuum honorandæ Nationis sensu et consensu lectus et electus fuit procurator, in comitiis apud Mathurinenses, decima quinta decembris millesimo sexcentesimo tertio. Huic muneri per annum præfuit et quantum potuit profuit.

II, fol. 41-42 vo. Nicolaus Cousin, Sparnacensis, ex diœcesi Rhemensi, cum aliquot annis, partim in collegio Justitiæ, partim in colle-

gio Bellovaco, grammatica et rhetorica docuisset, exinde philosophiæ cursum absolvisset in Calvica domo, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ creatus est, habitis pro more comitiis in æde Mathurinorum, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero decima mensis februarii.

II, fol. 147. Claudius CROIZIER, diocesis Claromontensis, collegii Forteti primarius, consentientibus omnium provinciarum honorandæ Nationis Gallicanæ designatoribus, referente domino Collumbet, procuratoria dignitate ornatus est idibus aprilis 1595; quam dignitatem cum omnium doctissimorum et prudentissimorum præceptorum applosu annum integrum sustinuit.

C. CROIZIER.

II, fol. 65. Robertus CROZON, Parisinus, humaniores artes in celeberrimo Justicianorum gymnasio quinquennio professus, habitis pro more apud Mathurinorum ædem comitiis, quietis quinque decuriarum designatoribus, qui erant Godier, Richard, Bennard, Riviere, Malerbault, viri doctissimi et fide probatissimi, nullo prorsus reclamante, illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator est declaratus anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die vero quinta maii.

Is in calce hujus libri instrumentum de suppressis et expressis scriptum et extractum de regestris publicis describendum curavit. [Cf. fol. 121.]

II, fol. 92. Jacobus DE CUEILLY, Parisinus, cum iterum secundis Marchianis præfectus esset, renunciatus est a D. Beauchesne honorandæ Nationis Gallicanæ procurator, 4 non. maii 1568.

J. CUEILLY.

Litteris et chirographo Caroli 9, postulante Academia, cautum fuit ne quis ex impiorum familia doceret privatim aut publice in diœcesi Parisiensi.

Illius magistratus tempore, penes eundem majoris apparitoris fasces detenti fuerunt, quod, non impetrata venia, discessisset, nec redditi, donec iterum jurasset in statuta.

II, fol. XVII v°. Joannes DE CUEILLY, Parisinus, post absolutum philosophiæ cursum in gymnasio Cocqueretico, examini promovendorum ad bacchalaureatum prefectus est; cumque altero deinde cursu adusque physicam perducto apud Lexoveos rogatu gymnasiarchæ apud eosdem esset dialecticus futurus, relicto quem cœperat cursu, renunciatus est a quinque designatoribus honorandæ et prudentissimæ Nationis Gallicanæ procurator, quem uno omnes consensu ejusdem Nationis preceptores, in id apud Mathurinos convocati, confirmarunt anno Domini millesimo tricesimo nono supra sesqui-

millesimum, nono calendas octobres. Ejus acta probarunt omnes, grataque, rata et accepta habuerunt eodem anno, decimo quarto calendas decembres.

II, fol. 76. Ludovicus Dalençon, Metensis, iterum factus fuit procurator xxiij° septembris 1562, in mensem solum, loco magistri Petri Mollinei procuratoris, qui peste defunctus fuerat post primum mensem sui magistratus. Quo die creationis dicti Dalençon, creati in procuratorem, nichil conclusum et deliberatum fuit de sepultura defuncti procuratoris Mollinei, et conclusum est expensis Nationis sepeliretur; quod factum fuit, ut amplius videre est in libro Conclusionum.

II, fol. xx. Franciscus Dampmartin, Parisinus, post revolutos professionis suæ in litteris humanioribus tres annos continuos in regali museo Navarrico, alias Campaniæ, a quinque designatoribus honorande Nationis Gallicanæ, uno ore, nemine prorsus refragante, procurator quarto nonas junii renuntiatus est, idque in perystilio Mathurinorum, loco ad id dicato. Cujus acta convocati Facultatis Artium didascali rata, grata et accepta habuerunt anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo, die veneris nono calendas octobris.

II, fol. 111. Dionysius Darsy, Parisiensis diocesis, postquam in locis et collegiis diversis erudivit juventutem quinque annos in grammaticis et in philosophia octo, cum esset inter 43um et 44um annum suæ ætatis, et metaphysicus apud Montanos (in eorumdem familia edoctus pauper), in æde Mathurinorum congregata Natione Gallicana, fuit electus procurator ejusdem Nationis 17a decembris 1574, ad renunciationem domini Burlat, cui agit gratias et toti Nationi habebitque quandiu vivet.

Eo tempore e vita discessit illustrissimus vir dominus cardinalis a Lotharingia, perendie Natalis Domini, qui, ut fertur, utramque paginam implere poterat.

D. Darsy.

Fol. 189 v°. J. Dauceyt, diocesis Rœmensis, electus est in procuratorem anno Domini millesimo quingentesimo decimo quarto, die vero 20a mensis augusti.

Fol. 170 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo decimoquarto, die decimasexta octobris, in presentia decanorum, mei Johannis Dauceyt, procuratoris venerande Nationis Francie, ceterorumque ejusdem suppositorum, confirmata fuit et roborata conclusio antea multoties agitata, videlicet quod nulli liceat dare signetum suum baccalariandis, licentiandis aut magistrandis gradus adipiscendi gratia, nisi graduato in Universitate Parisiensi. In cujus

rei testimonium hoc presens signavi scriptum anno et die predictis.

J. Dauceyt.

Fol. 48. Jacobus Dauxy, uno omnium ore, fuit electus procurator venerande Nationis Gallicane, tertio calendas februarii anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo primo.

Ja. Dauxy.

II, fol. xvi. Joannes Debomont, Parisiensis, post exactum apud Beccodianos philosophie curriculum, apud Cenomanos dialecticus, quinque designatorum unanimi consensu procurator designatus est [anno 1537-1538].

II, fol. 102. Ludovicus Decreil, Parisinus, cum quatuor annos continuos in erudienda juventute apud Rhemenses contrivisset, a quinque tribuum Nationis Gallicanæ designatoribus, renuntiante D. Nicolao Lambert, procurator est declaratus, 13 kalendas decembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo.

Fol. 186 v°. Joannes Degerris electus est in procuratorem.

II, fol. 94 v°. Simon Delacroys, Altissiodorensis, secundo ordini Marchianorum præfectus cum esset a domino Claudio Petit, jam classico Belvacensi, nullis reclamantibus, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ renunciatus est, solitis apud Mathurinos comitiis, septimo idus aprilis 1569.

II, fol. 94. Joannes De Lectres, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ, 1568. — In Lexoveo gymnasio.

II, fol. 71. Gulielmus Demypoles, Billomeus, diocesis Claromontensis, postquam Burgundianam juventutem per annos ferme quatuor diligenter in humanioribus literis excoluit, decimum a magisterio agens annum, tertio ordini præfectus, habitis, pro more solito, apud Mathurinos comitiis, a quinque tribuum Gallicarum designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ communi omnium voce et calculo, nulloque omnino repugnante neque reclamante, procurator est designatus et creatus, septimo calendas septembres anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo. 1560.

II, fol. 55. Johannes Deniset, cum apud Montanos continuos quinque annos juventutem in grammaticis et rhetoricis erudiisset, velut debitum præcium persolv[ens], Natio Gallicana a quinque tribuum designatoribus, ut in procuratorem deligeretur, comitiis habitis in æde Mathurinorum, nemine reclamante, voluit anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ante Pascha, die vero octava aprilis.

II, fol. 137. Illi [Joanni Boucher, 1580] successit Joannes Denisetus, qui toti Nationi charissimus, nemine reclamante, procuratorium munus quadrimestre tenuit eodem anno millesimo quingentesimo octuagesimo, et magistratu se abdicavit septimo die aprilis anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

J. Denisetus.

II, fol. 91. Gulielmus Dernecourt, Lingonensis diocesis, postquam tres annos continuos in schola Cardinalitia juventutem docuisset, convocata in ædem Mathurinorum Natione Gallicana, a designatoribus quinque tribuum, renunciante M. Jacobo Lemonio, ejusdem Nationis procurator designatus est anno Domini 1568, secundum Regis edictum, 7° idus martii.

G. Dernecourt.

Postea rector factus 23. mart. 1577.

Fol. 128 v°. Renatus Deschamps, Cenomanensis diocesis, ex Frenaco, procuratorium est adeptus decima quinta januarii 1515, intrantibus magistris Nicolao Desiderii, Francisco Desgoutieres, Johanne Oudin, Johanne Vassel et Nicolao Manuel.

II, fol. 62. Petrus Des Chasteaux, Parisinus, baccalaureus Theologus et prior Sorbonicus, procurator electus est, solito more, decima octobris anno 1646.

Anno 1647, die decima sexta januarii, magister Adorator de Vaux, collegii de Pompadour, alias Sancti Michaelis, moderator, rationes suas reddidit, audientibus, ut moris est, D. Procuratore honorandæ Nationis Galliæ et D. Decano tribus Bituricensis, Michaele Du Chesne.

Fol. 173. Anno Domini 1528, die vero vicesima prima mensis octobris, delectus est procurator inclyte Nationis Gallicane magister Gulielmus Desgroulx.

G. Desgroulx.

Fol. 189. Dyonisius Deshayes, Eduensis diocesis, electus est in procuratorem idibus januarii anno Domini millesimo quingentesimo decimo tertio.

II, fol. 153 v°. Domino Berault [1616] successit Antonius Desplaces, Parisinus, apud Calvicos classicus, qui, concordibus omnium tribuum suffragiis, secunda aprilis fuit electus et renunciatus a cultissimo viro domino Gueriteau, in Facultate Theologiæ baccalaureo et socio Sorbonico, cum tamen ante, septima decembris, a tribus Nationis tribubus, Senonensi scilicet, Rhemensi et Bituricensi, fuisset electus, antecessorique suo cedere quam annui magistratus tempus interrumpere maluisset.

Desplaces.

Hujus magistratus tempore oborta est gravis contentio de rectoratu inter D. Dossier et D. Berault; a partibus D. Dossier steterunt electores Galliæ et Normaniæ et rector D. Ruault; a partibus autem D. Berault elector[es] Picardiæ et Germaniæ, ita ut quæreretur utrum antiqus rector, an vero rector conclave deberent ingredi. Tandem D. Ruault rector usus est jure suo et calculum suum adjecit electoribus Galliæ ét Normanniæ, cum consensu procuratorum Galliæ et Normanniæ; reclamante P. Hollande rectorio, re tandem ad senatum delata, decretum est rectorem ingredi debere et proinde fuit confirmata electio D. Dosserii post litem trium mensium.

II, fol. 46-47. Nicolaus Deu, Cathalaunensis, in inclytæ Justiciæ gymnasio præstantissimo secundo præfectus ordine, nullis reclamantibus, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator renunciatus, hujus continende provinciam sibi comitti passus est anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, die vigesima sexta mensis augusti.

Fol. 189 v°. Claudius Disarde electus est in procuratorem idibus januarii anno Domini millesimo quingentesimo undecimo.

II, fol. 125 v°. Magister Franciscus Divry, presbyter Parisinus, baccalaureus Theologus, socius et provisor regiæ domus ac collegii Navarrici, electus honorandæ Nationis procurator ornatissimus, recurrentibus vicibus baccalaureorum, electus est die decima octobris anni millesimi septingentesimi, hora septima matutina, in comitiis generalibus Nationis honorandæ apud Mathurinenses de more habitis, suffectusque in locum clarissimi viri magistri D. Michaelis Gentilhomme, baccalaurei theologi, antiquæ domus Cardinalitiæ prioris ac socii meritissimi ac in eodem Cardinalitio collegio professoris emeriti.

Fol. 189 v°. Martinus Dolet, diocesis Parisiensis, fuit procurator anno Domini millesimo quingentesimo octavo.

II, fol. 40 v°. Anno ab humana redemptione millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero 19° mensis octobris, habitis ex consuetudine comitiis in æde Maturinorum, Petrus Domballe, annum quintum docens grammaticen apud Bellovacos, a quinque viris nominatus est procurator honorandæ Nationis Gallicanæ, idemque summo omnium applausu admissus.

Petrus Domballe.

Fol. 129. Charolus de Dormano, diocesis Parisiensis, electus fuit procurator cras anno elapso [1520].

Fol. 189 v°. Renatus Drouyn, Turonensis diocesis, ex Chinone, procuratorium est adeptus decima februarii 1514, intrantibus magis-

tris Nicolao Bouchart, Georgio Roillet, Guillelmo de Mirmont, Francisco des Goutieres et Michaele Bo...

II, fol. 72. Cæsar Egassius Bulæus, Brito-Cenomanensis, hoc est San-Elerianus, ex ducatu Meduanensi, cum per biennium in regiæ Navarræ sextâ classe, sexennium in secundâ, biennium in rhetoricâ continenter docuisset, trienniumque in eadem classe auspicaretur, electus est procurator honorandæ Nationis Gallicanæ anno Domini 1653; cujus tempore quæ gesta sint reperientur in libro novo membranaceo Procuratorum honorandæ Nationis.

C. E. Du Boulay.

II, fol. 72 v°. Ludovicus Duboullay, diœcesis Cœnomanensis, cum in Barbaranorum et Cardinalitiorum schola artes, quæ ad humanitatem pertinent, triennium professus fuisset, tertio Marchianorum ordini præfectus, coactis apud Mathurinæos comitiis, a quinque tribuum designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ renunciatus est procurator anno a Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimo, decimo septimo calendas januarii.

L. Duboullay, 1560.

II, fol. 138. Michael Boullayus, Cœnomanus, habitis ex more comitiis in æde Maturinorum, omnium consensu Nationis Gallicanæ procurator fuit designatus xxvi. maii anno 1581.

Fol. 189. Johannes Du Chef de la ville, procurator futurus.

II, fol. 142 et v°. Joannes Du Clos, Confluentinus, in diocesi Lemovicensi, tertio Plessæorum ordini præfectus, ubi informandis puerorum animis sedulam per quinque annos in eodem collegio navasset operam, habitis pro more apud Sanctum Mathurinum comitiis, renuntiante D. Sylvio a Petra viva, bacchalaureo Theologo, socio Sorbonico et insignis ecclesiæ Parisiensis canonico, procuratoriæ dignitatis fascibus, una omnium voce applausuque maximo, fuit insignitus 4. idus februarii anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.

Finito sui magistratus tempore, summa cum omnium approbatione, ad D. Vincentii Raffarii, decani tribus Bituricensis, renuntiationem, procurator iterum est resignatus 8. idus aprilis anno eodem.

Hujus magistratus tempore, per amplissimum rectorem Nicolaum Dadenium, classicum Cardinalitium, convocatis apud Mathurinos almæ Parisiensis Academiæ quinque Facultatibus, supplicationes indictæ sunt et ad Beati Germani a Pratis habitæ pro Francisci Valesii, regis Galliarum et Poloniæ fratris unici, incolumitate et prospera valetudine.

Joannes Du Clos.

II, fol. 107. Antoninus Du Flo, Parisiensis, tertio Harcurianorum ordini præfectus, cum in superioribus Dormani Montanique gymnasii ordinibus informandis puerorum animis quinque annorum spatio vehementem operam dedisset, procuratoriis fascibus ornatus et cohonestatus est die decimo octavo mensis novembris 1573.

Illius magistratus tempore, Petrus Meresse, major Nationis Gallicane apparitor, confectis et consumptis in ejus officii administratione quinquaginta sex annis, vitam naturæ reddidit, die septimo mensis januarii; in cujus locum Maceus Berthet, minor ejusdem Nationis apparitor, cooptatus est.

Eodem procuratore, Nicolaus Guyon, per resignationem et ejurationem Macei Berthet, minor apparitor constitutus et electus est.

Eodem tempore, pro commoditate scholasticorum, quandoque æris augustia premuntur, statutum est ne major apparitor preter constitutum Academiæ decretum ac legibus septem solidorum et sex denariorum summam pro bacchalaureatus et licenciatus gradu postulet et exigat.

Postremo altercatio et controversia inter viduam Petri Meresse et Maceum Berthet exorta pro bacchalaureorum hujus anni recipiendo jure in Macei Berthet commodum utilitatemque distracta ac dijudicata est, ei enim et non viduæ deberi Natio Gallicana dijudicata est.

II, fol. 26. Antonius Dufour, diocesis Carnutensis, in nominatissimo Lexobiorum collegio philosophiæ naturalis professor, postquam in æde Mathurinorum omnes convenerunt, a quinque designatoribus Gallicanæ Nationis procurator electus est anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, die vero vigesima octobris.

II, fol. 39 v°. Petrus Dufour, Suessionensis, cum acceptum philosophiæ curriculum in Prælleorum gymnasio persecutus fuisset et justitiæ physicis præfectus cunctis Gallæ Nationis professoribus in ædem Divo Mathurino dicatam per vigilantissimum procuratorem Petrum de Hodicq evocatis, uno quinque decuriarum ordinumque consensu procurator est creatus anno Domini 1549°, die 23a mensis septembris.

P. Dufour.

II, fol. 153. Domino Grangerio successit Elias Dufresne de Mincé, baccalaureus Sorbonicus, post sexennium professionis philosophicæ in collegio Calvico, 2° anno suæ licentiæ et professionis a se intermissæ propter suam licentiam, ut vacaret cursui et actibus theologicis Plessæis, anno proximo philosophaturus.

Fol. 170. Nicolaus Dugast, diœcesis Parisiensis, comitiis habitis in cœnobio Maturinorum pro more, 4° nonas februarii anno

Domini 1536° evectus est ad procuratorium munus designatoribus : in provincia Parisiensi, M. Adamo Sequart; in Senonensi, M. Claudio Berthotio; in Remensi, M. Jacobo Guillotio; in Turonensi, M. Joanne Morello; in Bituricensi, M. Anthonio Brunetio; idque citra controversiam ullam.

N. Dugast.

II, fol. 64. Stephanus Du Mesny, Carnutensis, socius Sorbonicus et philosophiæ professor in collegio Grassinæo, consentiente tota Natione honoranda procurator electus est die decima octobris anni 1655, quo magistratu per annum integrum perfunctus est.

Fol. 140 v°. Huic [J. Bridou, 1535-1536] successit Renatus Pineus, quinto idus martias.

R. Dupin.

II, fol. 102. Franciscus Du Port, cum in Cenomano gymnasio primum ordinem duceret, et in sequentem annum classem Marchianam se moderaturum esset pollicitus, professis prius in Montana Prælæaque domo literis humanioribus, convocatis, ut fieri solet, centuriis, ab uniuscujusque tribus designatoribus, Ludovico Fabro renunciante, Nationis Gallicanæ procurator est institutus, 7° calendas octobris anno salutis 1571.

Hujus temporibus lis ejus domus, quæ Normanorum scholis assidet proxime, nostro jure sublata est.

F. Du Port.

II, fol. 38. Jacobus Dupré, Parisinus, cum triennio ferme juventutem Cænomanam in secundo et primo ordinibus præceptis grammatices et rhetorices imbuisset, philosophie stadium apud Marchianos agressus, triennio suos in omni philosophie parte erudivit, hinc reguale Navarre gymnasium ingressus et bursa theologica donatus, anno ferme post, coactis ex more ad ædem Mathurinorum comitiis, uno singularum decuriarum consensu honorandæ Nationis Guallicanæ procurator a quinqueviris nominatus est et declaratus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, die vero undecima februarii.

J. Dupré.

II, fol. 152 v°-153. D. Stephanus Du Puys, Parisinus, rectorius, successit D. Tournier 16. decembris anni 1611, cum tertio philosopharetur apud Calvicos ; seque procuratorio munere abdicavit 17. decembris anni 1612, habuitque successorem in munere docendi collegam amantissimum D. Carolum Pescheur.

Hujus D. Stephani Du Puys magistratu Academia de Jesuitis triumphavit, utpote qui, caussa in Academia mota, exciderint. Triumphavit et de cardinalibus, qui privilegia Academiæ subvertere conabantur; edicto enim sacri Consistorii constitutum, ut ne qui-

dem ipsi cardinales possent viros academicos a jurisdictione rectoris Parisiensis, etiam ad Magnum Consilium, avocare.

II, fol. 70. Gulielmo Du Vergier, qui Montanam juventutem sesquitriennium in grammatices rhetoricesque disciplinam docuerat, comitiis, ut fieri solet, apud ædem Divi Mathurini habitis, quinque virorum consensu et maximo omnium applausu commissa est respublica Gallicana anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, septimo idus martias.

Fol. 189 v°. Natalis Enjubault, diocesis Cenomanensis, electus est in procuratorem anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo.

II, fol. 93. Petrus Enrotte, Heduus, in sacratissima Theologiæ Facultate bacchalaureus, habitis ex more apud Sanctum Mathurinum comitiis, octavo calendas novembris, illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator omnium suffragiis electus est anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo.

Hujus magistratus tempore cardinalis a Castellione, qui conservatoris officio fungebatur, tanquam relligionis catholicæ et reipublicæ desertor, e gremio Universitatis expunctus est et in ejus locum suffectus est privilegiorum conservator reverendus dominus dominus Joannes Du Tillet, episcopus Meldensis.

Rationes collegii Quoqueretii coram procuratore discutiuntur et examinantur.

Hoc ipso tempore, cum mota esset causa inter honorandæ Nationis Gallicanæ procuratorem et primarium procuratorem et bursarios collegii Quoqueretici, qui negabant dictum procuratorem Nationis habere jus audiendarum rationum ejusdem collegii reformandorumque abusuum, si qui in eo essent, causa ceciderunt dicti primarius, procurator et bursarii, edictoque vel, ut dicitur, arresto coacti reddere suas rationes ante procuratorem dictæ Nationis Gallicanæ.

P. Enrotte.

II, fol. 44. Marinus Everard, diocesis Suessionensis, habitis pro more comitiis in æde Mathurinorum, a quinque designatoribus in procuratorem electus, nullo reclamante, cum cursum absolveret in Navarræ collegio, in aliis juventutem instituisset preceptis, tum rhetorices, tum grammatices, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero 23a septembris.

Fol. 186 v°. Faber, procurator Nationis Francie.

II, fol. 106 v°. Claudium Fauvelet, Senonensem, cum tres annos humaniores literas esset professus, tum in Harricuriana, tum in Calvica domo, et philosophiæ curriculum in Calvica domo aggrede-

retur, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, die vero vigesima tertia septembris convocata in ædibus Mathurinensibus Natio Gallicana procuratoria dignitate ornavit.

II, fol. 146 v°. D. Anthonius FAYET, bacchalaureus Theologus, Navarricus, Galliæ procurator designatus calendis aprilis 1594.

— FICHON. Voir CAMBROSIUS.

II, fol. 140 v°. Joannes FILESAC, Parisinus, cum sex annos continuos in literarum humanarum professione apud Marchianos continuisset, ac peripati vestibulum vix dum attigisset, dialectico ordini præfectus, comitiis Mathurinensibus more majorum habitis, sine obnunciatione ac sine intercessione, a quinque tribuum Nationis Gallicanæ designatoribus procurator est renunciatus die 22. aprilis anno 1583.

Anni ejusdem die 26. augusti, cum sibi in superiori magistratu procuratorio aliqua ex parte satisfecisse videretur, tum maxime quod in votis semper habuerat, plebem cum patribus arctissimo benevolentiæ et amoris vinculo conjunctam relinqueret, nihil tale cogitans, patrum et ferme omnium, qui tum aderant, præceptorum singulari studio et propensa in eum voluntate, iterum procurator est designatus.

J. FILESAC.

II, fol. 80. Ego Joannes FINÆUS, Parisinus, Orontii Finæi, Delphinatis, mathematicarum Lutetiæ regii professoris filius, biennio postquam spatium philosophicum in schola Haricuriana confecissem, et jam theologicum in regia Navarra fere emensus fuissem, peractis ad Mathurinos pro more comitiis, a quinque classium honorandæ Nationis Gallicanæ designatoribus ejusdem Nationis procurator pacifice fui renuntiatus anno reparatæ salutis 1564, 12° calendas novembris.

II, fol. 108 et v°. Marinus FLEURY, Montanus dialecticus, postquam juventutem per annos quinque grammaticæ et rhetoricæ disciplinis edocuisset, omnium ordinum consensu, a quinque viris procuratorio munere insignitus est decimo tertio januarii anno Domini 1574.

Mei magistratus tempore, cum apud Jacobitas paranymphus haberetur, rector Academiæ, propter hominum frequentiam ingressu prohibitus, et adversa temporis injuria asperitateque in aditu pretendere coactus, a Jacobita sacerdote quodam injuriis affectus est. Qui ab apparitore comprehensus et ad dominum de Thou, primum præsidem, qui in corona illa celebri consedebat, pertracto tandem magistro Fremeau, doctori Theologo Jacobitæ, traditus, ejus culpa postea nebulo iste sceleratus evasit. Quem persequi et ubique per cœnobia cætera conquirere, ut tantum crimen expiaret, totus Jacobi-

tarum grex simulavit, atque prior, nisi compareret, excommunicavit, et omnibus tum Academiæ, tum conventus privilegiis et honoribus privavit, eique secundum statuta poenas et carceres, convocatis omnibus et singulis fratribus, præstituit. De qua injuria dominus rector Claudius Perier, apud ////////// deputatos conquestus easque opem et consilium precatus, quod injuria non privata sed rectoria esset, omnium calculis enim ad supremum senatum referendam conclusum. Sed prior Jacobitarum vocatus quanta diligentia nebulonem conquisiisset, et quanto iniquo animo ferret, aperuit et pœnas gravissimas, quas ex statutis irrogaverat, declaravit, atque, ne de ea re quisquam dubitaret, decretum et sententiam capituli, sigillo conventus obsignatam, Rectori dedit. Quibus perlectis, magnitudinem supplicii admirantibus omnibus, ad arbitrium prioris totum negotium delatum est.

Eodem tempore, majores fasces fuerunt inaurati et suæ integritati restituti, qui negligentia Mercerii et Lempereur longinquitate erant multis in partibus diminuti. Eidem dati sunt Maceo Berthe, majori apparitori, dato fidejussore pro astipulatore. Factum diligentia domini Bigot, decani Parisiensis.

M. Fleury.

II, fol. 86. Simon Foliau, Parisinus, cum quinque annos continuos in florentissima academia Montana juventutem edocuisset eamdemque edocturus in Plessæam descendisset palæstram, dum quarto præesset ordini, habitis pro more in æde Divo Mathurino sacra comitiis, a quinque decuriarum designatoribus, nullo reclamante, sed omnium jucundissimo applausu, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator designatus fuit anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, die undecima martii.

Fol. 142. Magister Johannes a Fonca munus procuratorium est assecutus secunda die junii anno Domini 1525.

II, fol. 123 vº. Joannes Fougeray, Cenomanus, multis et præclaris rebus gestis in Academia toto tempore, quo juventutem novem annos continuos in gymnasio Lexovio in grammaticis et rhetoricis erudivit, tandem suæ provinciæ Turonensi decanus effectus, a Natione Gallicana, omnium consensu, a quinque tribuum designatoribus procurator dictæ Nationis nominatus est septimo calendas septembris anno Domini 1578.

Ex tanto honore percepto, ne immemor beneficii videretur, suæ utilitatis oblitus, propriis sumptibus Nationi Gallicanæ novum ornamentum, quod vulgo epitogium vocant, liberaliter dedit.

II, fol. 110. Magister Rodolphus Fournier, Rethellinus, baccalarius Theologus, necnon collegii Remensis procurator, creatus est Nationis Gallicanæ procurator anno 1645, die vero octobris xª.

II, fol. 138. Claudius Francæus, comitiis apud Mathurinenses legitime habitis, tertium procuratoriæ dignitati Nationis Gallicanæ cum omnium applausu est renunciatus 9. calendas octobris, et successorem habuit amantissimum Marchiana necessitudine collegam M. Laurentium Bourcerettum, apud celeberrimam Becodianorum tertiæ præfectum meritissimum, 1581.

C. Francæus.

Fol. 168, 129 et 189 v°. Petrus de France, venerande Nationis Gallicane, dyocesis Remensis, fidelis procurator electus est anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo.

P. de France.

II, fol. 24. Joannes Gaborellus, Macloviensis creatus, philosophiam in collegio Becodiano circiter quadriennium professus, bursarius Plesseius, necnon phisicus Hercurianus, habitis pro more apud Maturinorum ædem comitiis, quietis quinque designatoribus, nemine prorsus refragante, illustrissime Nationis Gallicane procurator est declaratus anno Domini millesimo quingentesimo tertio, die vero septima mensis aprilis.

Fol. 54 et 186 v°. Petrus Gaillard, diocesis Bituricensis, electus est in procuratorem prestantissime et inclite Nationis Francie, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, decimo octavo novembris, et hoc nemine contradicente de collegio Navarre.

P. Gaillard.

Fol. 122 et 1. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, ante Pascha, electus fuit Petrus Galiot in procuratorem Nationis Gallicane.

II, fol. 150 v°-151 v°. Antonius Gallot procurationem Gallicanam iniit die 18. novembris 1600, referente D. Coulon, rectore vero D. Collino, Plessææ domus summo moderatore. Tertium tunc regebat ordinem Navarræum, cum ante primos duxisset, tum apud Calvicos, tum apud Grassinæos.

Excessit e vita. die . . . (*sic*) D. Simon Bigotius, decanus Parisiensis; cui communibus omnium suffragiis in comitiis Mathurinensibus successit D. Joannes Yonius, promagister Navarricus. Accessit vero ad illa comitia D. Claudius Palliot, qui nomen suum professus est et decanatum sibi tanquam antiquiori magistro deberi contendebat, sed novis et iteratis suffragiis decanus Parisiensis dictus est et confirmatus D. Yonius, quia antiquior eorum magister erat, qui per septennium docuerat ac cursum philosophiæ confecerat, quod in D. Claudium Pallyot desiderabatur. Intercessit idem Pallyot et jus suum apud senatum experiri voluit, nihil tamen ad hunc diem decretum est, gaudetque jam ab anno suo decanatu D. Yon.

tarum grex simulavit, atque prior, nisi compareret, excommunicavit, et omnibus tum Academiæ, tum conventus privilegiis et honoribus privavit, eique secundum statuta poenas et carceres, convocatis omnibus et singulis fratribus, præstituit. De qua injuria dominus rector Claudius Perier, apud ////////// deputatos conquestus easque opem et consilium precatus, quod injuria non privata sed rectoria esset, omnium calculis enim ad supremum senatum referendam conclusum. Sed prior Jacobitarum vocatus quanta diligentia nebulonem conquisiisset, et quanto iniquo animo ferret, aperuit et pœnas gravissimas, quas ex statutis irrogaverat, declaravit, atque, ne de ea re quisquam dubitaret, decretum et sententiam capituli, sigillo conventus obsignatam, Rectori dedit. Quibus perlectis, magnitudinem supplicii admirantibus omnibus, ad arbitrium prioris totum negotium delatum est.

Eodem tempore, majores fasces fuerunt inaurati et suæ integritati restituti, qui negligentia Mercerii et Lempereur longinquitate erant multis in partibus diminuti. Eidem dati sunt Maceo Berthe, majori apparitori, dato fidejussore pro astipulatore. Factum diligentia domini Bigot, decani Parisiensis.

M. Fleury.

II, fol. 86. Simon Foliau, Parisinus, cum quinque annos continuos in florentissima academia Montana juventutem edocuisset eamdemque edocturus in Plessæam descendisset palæstram, dum quarto præesset ordini, habitis pro more in æde Divo Mathurino sacra comitiis, a quinque decuriarum designatoribus, nullo reclamante, sed omnium jucundissimo applausu, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator designatus fuit anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, die undecima martii.

Fol. 142. Magister Johannes a Fonca munus procuratorium est assecutus secunda die junii anno Domini 1525.

II, fol. 123 v°. Joannes Fougeray, Cenomanus, multis et præclaris rebus gestis in Academia toto tempore, quo juventutem novem annos continuos in gymnasio Lexovio in grammaticis et rhetoricis erudivit, tandem suæ provinciæ Turonensi decanus effectus, a Natione Gallicana, omnium consensu, a quinque tribuum designatoribus procurator dictæ Nationis nominatus est septimo calendas septembris anno Domini 1578.

Ex tanto honore percepto, ne immemor beneficii videretur, suæ utilitatis oblitus, propriis sumptibus Nationi Gallicanæ novum ornamentum, quod vulgo epitogium vocant, liberaliter dedit.

II, fol. 110. Magister Rodolphus Fournier, Rethellinus, baccalarius Theologus, necnon collegii Remensis procurator, creatus est Nationis Gallicanæ procurator anno 1645, die vero octobris x[a].

II, fol. 138. Claudius Francæus, comitiis apud Mathurinenses legitime habitis, tertium procuratoriæ dignitati Nationis Gallicanæ cum omnium applausu est renunciatus 9. calendas octobris, et successorem habuit amantissimum Marchiana necessitudine collegam M. Laurentium Bourcerettum, apud celeberrimam Becodianorum tertiæ præfectum meritissimum, 1581.

C. Francæus.

Fol. 168, 129 et 189 vo. Petrus de France, venerande Nationis Gallicane, dyocesis Remensis, fidelis procurator electus est anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo.

P. de France.

II, fol. 24. Joannes Gaborellus, Macloviensis creatus, philosophiam in collegio Becodiano circiter quadriennium professus, bursarius Plesseius, necnon phisicus Hercurianus, habitis pro more apud Maturinorum ædem comitiis, quietis quinque designatoribus, nemine prorsus refragante, illustrissime Nationis Gallicane procurator est declaratus anno Domini millesimo quingentesimo tertio, die vero septima mensis aprilis.

Fol. 54 et 186 vo. Petrus Gaillard, diocesis Bituricensis, electus est in procuratorem prestantissime et inclite Nationis Francie, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, decimo octavo novembris, et hoc nemine contradicente de collegio Navarre.

P. Gaillard.

Fol. 122 et 1. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, ante Pascha, electus fuit Petrus Galiot in procuratorem Nationis Gallicane.

II, fol. 150 vo-151 vo. Antonius Gallot procurationem Gallicanam iniit die 18. novembris 1600, referente D. Coulon, rectore vero D. Collino, Plessææ domus summo moderatore. Tertium tunc regebat ordinem Navarræum, cum ante primos duxisset, tum apud Calvicos, tum apud Grassinæos.

Excessit e vita. die . . . (*sic*) D. Simon Bigotius, decanus Parisiensis; cui communibus omnium suffragiis in comitiis Mathurinensibus successit D. Joannes Yonius, promagister Navarricus. Accessit vero ad illa comitia D. Claudius Palliot, qui nomen suum professus est et decanatum sibi tanquam antiquiori magistro deberi contendebat, sed novis et iteratis suffragiis decanus Parisiensis dictus est et confirmatus D. Yonius, quia antiquior eorum magister erat, qui per septennium docuerat ac cursum philosophiæ confecerat, quod in D. Claudium Pallyot desiderabatur. Intercessit idem Pallyot et jus suum apud senatum experiri voluit, nihil tamen ad hunc diem decretum est, gaudetque jam ab anno suo decanatu D. Yon.

Die 27 martii 1601, D. Fusius rector cum quatuor procuratoribus adiit DD. archiepiscopum Bellovacensem et cancellarium ut litem commendaret qua gravabatur, utrum parvi nuntii pertineant ad jus Academiæ. Agebant contra Academiam scenici artifices et tibicines (violons du Roy), quibus Rex officia illa condonaverat, tabulasque nostras et titulos flagitabant, qui tempore ipso vel nonnullorum incuria interciderant; res adhuc dubia, nec causa victoriæ cuiquam data.

Die 9 februarii 1601, Lutetiæ venit Maria Medicæa regina; die 27 septembris natus Delphinus ad Fontem Bellaquæam, sub undecimam noctis horam, 1601.

Die 10 mensis octobris creatus rector D. Romanus Du Feu, qui 14[a] ejusdem mensis comitia privata habuit de salutando Delphino, nihilque conclusum; at 1[a] novembris Regem et reginam salutaverunt sub eodem rectore Du Feu, qui theses medicinæ, Delphino adscriptas, Regi obtulit.

Die 15 decembris 1601, vita decessit D. rector Du Feu; die sequenti comitia habita in æde Mathurinensi, decretumque ut dominus Rector publico funere efferetur, et ad eos sumptus centum nummi aurei destinati, quos penderent et singulæ Facultates et singuli Collegii. Funus datum et pompa facta 18 decembris.

D. Romano Du Feu rectori vita functo, successit in magistratu Antonius Gallot, classicus Navarræus, eoque die rector est creatus quo procurator Galliæ esse desii. Successorem habui in procurationem D. Collinum, Plessæum protomoderatorem sapientissimum, quo etiam referente et quadrumviro ad supremum illum Academiæ honorem perveni die 17 decembris 1601.

GALLOT.

Fol. 105 v°. Magister Nicolaus GARINUS, diocesis Suessionensis, venerande Nationis Francie procurator fuit electus anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto, die vero xxij[a] mensis augusti, in regali gymnasio Burgundionum.

N. GARIN.

Fol. 129. Joannes GAUDIN, diocesis Parisiensis, eligetur in procuratorem heri, anno Domini millesimo [quingentesimo quinquagesimo] quarto, et hoc in indicto, decima octava februarii, nemine contradicente de collegio suum...

II, fol. 49 v°. Petrus GEMELLI, cum dialecticorum ordini apud Montanos præesset, habitis pro more sacris comitiis in æde Mathurinorum, a quinque tribuum designatoribus summa cum tranquillitate, Gallicanæ Nationis procurator declaratus est anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio ante Pascha, die vero decima octava mensis februarii.

II, fol. 33 v°. Renatus GEMELLIUS, Turonensis, in regio Navarræ gymnasio plures annos grammaticen professus, nihil commotis Gallicanæ Nationis ordinibus, in procuratorem est electus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, die vero 7. junii.

II, fol. 91 v°. Joannes GERBAIS, baccalaureus Theologus e domo Sorbonica et philosophiæ professor in collegio Remensi, habitis pro more comitiis apud Mathurinenses, renuntiatus est procurator honorandæ Gallicanæ Nationis, die decima octobris anno 1656.

J. GERBAIS, Remensis.

II, fol. 40. Nicolaus GILLET, presbiter Parisinus, Sorbonæ bacalaureus et juvenum ecclesiasticorum Sancti Joannis in Gravia superior, honorandæ Galliarum Nationis procurator, anno 1686[1].

II, fol. 135 v°. Carolus GILMERIUS, collegii Rhemensis ex senatusconsulto primarius, ter honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est renunciatus, primò quidem anno salutis humanæ 1563, die vigesima sexta septembris, secundò die decima tertia januarii 1580, tertiò denique die decima martii anno eodem.

C. GILMER.

II, fol. 145. Carolus GILMERIUS, provinciæ Rhemensis decanus, gymnasiique Rhemensium primarius et dialecticus, successit in procuratoria dignitate D. J. Yonio.. die octobris 1585; iterumque continuatus.. die decembris ejusdem anni.

Tempore dictæ procuratoriæ dignitatis excesserunt e vivis tres magni nuncii : Gulielmus Boucher, pro diocesi Bononiensi in Italia; Ludovicus Passart, pro diocesi Dolensi in Britannia; Albinus Gaulu, pro diocœsi Tridentinensi in Pedemontano. Item duæ resignationes admissæ pro nuncialibus : Ravennæ in Italia et Trecarum in Campania Gallica.

II, fol. 60 v°. Joannes GOAIER, Carnotensis, post institutam in literis humanioribus Navarricam juventutem, in eodem gymnasio physicorum ordini præfectus, comitiis apud Divi Mathurini ædem pro more habitis, Nationis Gallicanæ designatus est procurator 12 cal. novembris 1556.

II, fol. 53. Robertus GODEFROY, Druyda, diocesis Carnotensis, præfectus primo ordini apud Calvicos, convocatis pro more tribus apud Mathurinos, quinque centuriarum suffragiis procurator Nationis Gallicanæ sum designatus calendis januarii 1554.

---

1. A la suite est un article biffé, en marge duquel on lit : « Hic, cujus nomen deletum est, magistratum abdicare jussus est. »

Fol. 142. Huic [J. a Fonca, 1525] successit magister Nicolaus Gombault, electus in procuratorem Nationis Gallicane 9 kalendas octobris anno Domini 1525.

Fol. 148 v° et 151 v°. Joannes Gorræus, Parisiensis, electus est procurator Nationis Gallicanæ quarto nonas junias 1537°, miro quodam omnium consensu.

Joannes Gorræus.

II, fol. 146. Germanus Gouffé, Parisinus, Universitatis Parisiensis quæstor generalis, Nationis Gallicanæ procurator, referente magistro Lefebvre, tertio professore Grassinorum, renunciatus est 25 septembris 1586; qua dignitate quinque menses ornatus, interfuit disceptationi quæ exorta est de decanatu Germanorum inter magistros Symson, Criton, Le Roy, Perse. Quæ dignitas decanatus a dominis deputatis adjudicata est domino Symson propter antiquitatem litterarum magisterii.

G. Gouffé.

II, fol. 69 *bis*. Nicolaus Goulu, diocesis Carnotensis, Alneoli natus, humaniores literas in collegio Cœnomano et Burgundiano quinquennio professus, habitis more solito apud Mathurinos comitiis, a quinque designatoribus, summo omnium consensu, Nationis Gallicanæ procurator electus est et creatus anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, decimo quarto calendas decembris.

II, fol. 23. Johannes Gounault, Remensis, Navarrice domus alumnus, cum in eo gymnasio quadriennium juventuti preceptionibus grammatices erudiendæ operam navasset, et bursarius tandem Theologus ibidem effectus fuisset, post alterum quadriennium inito apud Marchiam philosophiæ curriculo et jam ad physicam usque percurso, a quinque designatoribus, non sine ullius refragatione, modo sed miro etiam omnium suffragio ad id destinatis, procurator Nationis Gallicanæ declaratus est, in æde Maturinorum, hora octava matutina, anno Domini M. D. quadragesimo secundo, die sabbati xxi. octobris; cujus acta grata et rata eadem videlicet omnium concordia, exactis, ut fit, octo hebdomadis, sancita sunt xvi. decembris.

Fol. 144. Magister Petrus de Grangia, Parisinus, congregatione legitime facta apud Divum Mathurinum, ut moris est, munere procuratorio functus est, nemine refragante, anno Domini 1525°, in regali gymnasio Burgundionum.

Fol. 189 v°. Michael Greteau, Brianus, Columbariensis, electus est in procuratorem anno a nativitate Domini quingentesimo 16° supra millesimum, die vero martis 16a mensis decembris, in regali collegio de Mignon Parisius fundato.

Fol. 173. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, die vero secunda mensis maii, tranquillis omnium comitiis, electus fuit in procuratorem venerande Nationis Gallicane Nicolaus Griveau, Parisinus, celebratis ex more solito quinque intrantum suffragiis apud cenobium Mathurinorum.

N. Griveau, procurator, in regali Burgundionum gymnasio.

Fol. 8. Ego Dionisius Guerini, sabbati decima tertia die januarii, centuriatis comitiis a domino Procuratore indictis, subrogatus fui unanimi quinque provinciarum voto et consensu in locum procuratoris magistratu abeuntis, magistri Martini Malliarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo primo.

Fol. 168. Dionysius Guerin, diocesis Senonensis, procuratorio muneri venerande Nationis Gallicane gerundo, frequentissime necnon tranquillissimis comitiis, est prefectus, idibus januariis, anno Domini 1531°.

Fol. 131 v°. Joannes Guido, Villarensis, diocesis Bisuntinensis, congregatione legitime facta apud cenobium Maturinorum, ut moris est, designatus fuit procurator venerande Nationis Gallicane, absque sintilla discordis omnium regentum et magistrorum ejusdem Nationis tunc deliberantium, simul ac intrantum de re litteraria optime meritorum ad illud munus canonice peragendum electorum, anno Domini 1521, idibus januariis, in regali Burgundionum gymnasio.

J. Guido.

II, fol. 79 v°. Girardus Guillemin, Solislucensis, Heduus, postquam juventutem toto triennio apud regiam Navarram instituisset, convocata Natione Gallicana ad ædem Divo Mathurino sacram, omnium consensu, a quinque classium designatoribus ejusdem Nationis procurator est electus, quinto idus martii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto.

Guillemin.

Fol. 47 v°. Ludovicus Guilliaud Lugdunensis, comitiis recte atque ordine convocatis, factus est procurator Gallicane Nationis, nemine reclamante, anno Domini quingentesimo trigesimo tertio supra millesimum, quarto nonas junii.

L. Guilliaud.

Fol. 129 et 186. Petrus Guillot, diocesis Senonensis, electus fuit in procuratorem venerande Nationis Gallicane anno Domini futuro [1518].

II, fol. 148 v°. Nicolaus Guisenet, Stampanus, in Facultate Theologiæ bachalaureus Navarricus, vocata ad Divi Mathurini Natione Gallicana comitiisque pro more habitis, a quinque desi-

gnatoribus quinque provinciarum ejusdem honnorandæ Nationis Gallicanæ, faustis omnium acclamationibus, procurator electus [est] anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.

Eidem magistratus prorogatus in quattuor menses, quia cum dominus Carolus Rubœus, Accademiæ rector, totam Accademiam juxta antiquum morem ad Sanctum Dionisium duxisset, Nationem Gallicanam ibi honnorifice excepi.

Tempore magistratus excessit e vivis dominus Camus, decanus Theologiæ Facultatis, et in ejus locum suffectus dominus Renatus Benoist, episcopus Trecensis, dignissimus.

Eodem tempore, fatis concessit vir doctissimus dominus Jamin, ejusdem honorandæ Nationis quæstor, funusque parentavit idem procurator, cum fascibus procuratoriis, comitantibus decanis et provincialibus.

Guisenet.

II, fol. 116. Michæl Guiteau, Andegavensis, in scola Calvica docendi munus quartum agens, quietis quinque Nationis Gallicanæ designatoribus sapientissimis : domino Anthonio Trambleo, primario Barbarano, domino Blasio Martino, Johanne Savarto Sorbonico, domino Juliano Beræo, baccalaureo Medico et collegii Cænomani primario, et Claudio Hermodoro Gozzio, ejusdem Nationis Gallicanæ procurator est nominatus, referente domino Beræo, et postea ab omnibus provinciis confirmatus decimo quarto callend. decembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Hujus magistratus tempore a viris selectis, suplicatione prius in æde Mathurinensium, tota præsente Academia, a domino procuratore fiscali facta, conclusum fuit ut qui ab incœpto philosophiæ cursu defecerant aut ad alias classes convolaverant, iisdem relictis, incœptum philosophiæ cursum repeterent, nisi mallent Academiæ privilegiis privari ac destitui, et ita, eodem tempore nonnulli, relictis classibus ad quas discesserant, relicto suo cursu, eundem repetere coacti sunt et facto quidem repetierunt.

II, fol. 96 v°. Johannes Guyio, Heduus, cum biennium humaniores literas in secundo apud regiam Navarram ordine docuisset, biennium alterum primi ordinis ductor pene consumpsisset, comitiis Mathurinensibus, renuntiante D. Jacobo Lemonio, quinque provinciis ac provinciarum designatoribus approbantibus, Nationis Gallicanæ procurator factus est anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, idibus januarii.

Hujus magistratus tempore, contentio de decanatu Turonensis provinciæ inter Ogerium et Chausserium, alterum metaphysicum Rhemensem, alterum hunc gymnasiarchum Harcurianum, gravissima orta est; pluribus suffragiis Ogerius decanus declaratus est.

Rursus altera contentio de decanatu provinciæ Bituricensis inter duos bacchalaureos, alterum Chezæum, theologum, alterum Jouvencel, medicum, excitata est; frequentioribus suffragiis Chezæus nominatus, altero tamen reclamante et jus suum persequi non desinente.

Comitiis Julianensibus statutum est, ut qui examen a D. Cancellario Divæ Mariæ institutum subirent, sine schedulis et chirographis præceptorum et procuratorum lauream magisterii non assequerentur.

Domus Nationi vindicata, que habet insigne Scacarii, pluris licitanti ex senatusconsulto in novem annos locata est 265 libellis francicis.

II, fol. 115. Andreas GUYONIUS, Heduus, cum in primis apud regiam Navarram ordinibus per aliquot annos juventutem exercuisset, Mathurinensibus comitiis procurator Galliæ renuntiatus est anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Fol. 48 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo septimo, die 3. mensis junii, electus est magister Marinus HAUYN, Caulianus, Suessionensis diocesis, ad procuratorium venerande Nationis Gallicane munus exercendum.

II, fol. 98 v°. Jacobus HELIAS, Marchianus, cum per sex annos in tribus primis ordinibus humaniores literas professus esset, comitiis more institutoque majorum habitis in æde Mathuriniensi, omnium suffragiis Nationis Gallicanæ procurator creatus est, duodecimo calendas novembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Eodem procuratore, diploma regium adversus literarum professores hæreticos senatusconsulto confirmatum est, et illustrissimus ac religiosissimus cardinalis Borbonius, absens, summus patronus Academiæ, centuriatis comitiis, designatus est et paulo post ejus vicarius in possessionem.

Fol. 141. Magister Michael HERRO, Navarrus, diocesis Pampilonensis, in cœnobio Mathurinorum, omnium sufragiis et nullo competitore, in honorande Nationis Gallicane procuratorem fuit creatus anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die decima tertia januarii.

HERRO.

II, fol. 91 v°. Die 10ª octobris 1663, electus fuit procurator Galliarum Nationis Joannes HERSANT, presbyter, baccalaureus Sorbonicus, gymnasiarcha Grassinæus ac ibidem philosophiæ professor.

J. H.

Fol. 129. Magister Jacobus HERVEUS, diocesis Carnothensis, elec-

tus fuit procurator, nullo repugnante, habitis comitiis apud Sanctum Mathurinum, die septima aprilis, post Pascha, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

HERVÉ.

II, fol. 88. Joannes HERVY, Parisinus, in regia Navarra bursarius Theologus, convocatis ad ædem Mathurinorum honorandæ Nationis Gallicanæ præceptoribus, procurator electus est anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, decima sexta decembris.

J. HERVY.

II, fol. XVIII v°. Nicolaus HIRIGARAY, Mongelosæus, natione Vasco, postquam in nominatissimo Læxobiorum collegio primum philosophiæ curriculum perfecit, alterum in florentissimo Divæ Barbaræ collegio incœpit, inibique quum physicos duceret, honoranda Gallorum Natione in morem et locum consuetum convocata, omnium præceptorum suffragiis ac uno consensu, nemine reclamante, ejusdem Nationis procurator declaratus est anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono, die decima mensis martii.

II, fol. 39. Petrus DE HODICQ, Parisinus, cum secundo ordini apud Navarricos præfectus est, indictis per vigilantissimum procuratorem magistrum Petrum Touzet comitiis in æde Mathurinorum, procurator designatus est anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo nono, tertia junii.

II, fol. 86 v°. Nicolaus HOTMAN, Parisinus, pridie nonas maii, anno Domini 1566 renunciatus est procurator.

N. H.

Fol. 143 v° et 47 v°. Jacobus HOULLIER, Stempanus, creatus est procurator perillustris Nationis Gallicanæ, confirmatis centuriis, nulla largitione inquinatis comitiis, magna renunciatorum integritate, apud S. Mathurinum, anno a Christo nato 1530, 7° cal. septembris.

J. HOULLIER, Estempés.

Fol. 152. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, die 10ª octobris, nos Jacobus HOULLIER, procurator Nationis Gallicanæ, data postulatione in supremo senatu, ut ex jure statuti, quod fol. 113 exscriptum est, nullus alius designaretur rectoriæ dignitatis renunciator atque nos, obtinuimus ut retinendo juri nostro Joannes Morinus, pretor Parisinus, committeretur. Is itaque ex mandato senatus adfuit et ita prefuit, ut nihil imminuto statuto rectoris elector procurator diceretur. Quod cum in publicum bonum confectum sit, id ut ne pretermittatis, quibus occasio cesserit, obtestor.

J. HOULLIER.

Fol. 143 v°. Idem cum ex statuto, quod folio 113 exscriptum,

postulasset in senatu, ut elector rectoris haberetur, mandato pretori Morino negocio, effecit ut omnium suffragiis intrans creatus sit, cum et qui reluctarentur non potuerint institutum abrogare, idque omnium primus, quos memoria nostra tenuit, confirmatum curavit anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, die undecima octobris.

J. Houllier.

II, fol. 27 v°. Simon Houppaius, S[u]essionensis, secundo ordini prefectus in gymnasio de Dormano, alias Bellovaco, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus reclamante, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est renuntiatus anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, die vero decima mensis februarii.

II, fol. 85 v°. Ego Claudius Houy, Melodunensis, impetrata meis studiis quiete, quæ sex annos continuos erudiendæ juventuti Barbaranæ, Burgundianæ et Rhemensi impenderem, cum ad medicinam me totum contulissem, eidemque apud Lexoveos omnem navarem operam, comitiis Mathurinensibus omne ferens punctum, honorandæ Gallorum Nationis procurator sum creatus, decimo nono calendas februarii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto.

II, fol. 152 v°. Quintinus Hoyau, Suessionensis, collegii Præleo Bellovaci gymnasiarcha, D. Joly successor est renunciatus procurator, habitis comitiis apud Mathurinenses, de more solito, die decima sexta decembris, anno vero ab incarnatione Domini millesimo sexcentesimo octavo.

II, fol. 84 v°. Ego Philippus Huart, Cænomanus, in sacratissima Facultate Theologiæ bacchalaureus, et regiæ domus Navarræ alumnus, honorandæ Nationis Gallicanæ, absque ulla controversia, a quinque designatoribus provinciarum ejusdem Nationis fui procurator electus, apud Mathurinos, anno salutis nostræ 1565, die vero 24ª septembris.

II, fol. 76 v°. Claudius Huerne, Virdunensis, cum apud Bellovacos et Cardinalitios diu et sedulo juventutem rethoricæ præcepta edocuisset, a quinque tribuum designatoribus, nullo refragante, sed omnium maximo cum applausu et jucunditate, illustris et honorandæ Nationis Gallicorum factus est procurator anno a partu Virginis 1562, 20 octobris.

Continuatus est dictus Huerne, cum secundo ordini Navarrico præficeret, in secundum mensem.

Fol. 129 v°. Poncius Hugard, in Artibus magister nec non regalis collegii Burgundie bursarius, seu scholaris, Lingonensis diocesis,

electus fuit in procuratorem Nationis Gallicane, die decima sexta mensis decembris anni Domini millesimi quingentesimi vicesimi quarti, nemine reclamante.

P. Hugard.

II, fol. 106 vo. Martinus Hyard, Roissiaci natus, diocesis Parisiensis, post institutam per quatuor annos in celeberrimo Harcuriano gymnasio juventutem, cum in scholam Cænomanam, ut eandem edoceret, commigrasset sextum regentiæ annum perficiens continuum, habitis de more in ædibus Mathurinensibus comitiis, a quinque viris selectis ex quaque Nationis Gallicanæ tribu, renunciante domino Tissart, Parisiensi, omnium maximo applausu procurator est electus et creatus anno Domini 1573, septima aprilis.

Hujus magistratus tempore, Ja. Marius, doctor in utroque Jure, cum Mathurinensibus comitiis supplicuisset, obtinuit literas gradus magisterii.

II, 144 vo. D. Maclotio [1585] successit J. Ionius, quarto Navarricorum ordini præfectus, cum aliquot annos in aliis ordinibus jam contrivisset.

II, fol. 97. Clemens Jacob, Trecensis, cum apud Marchianos triennium in quarto et tertio ordine juventutem instituisset, secundo ordini præfectus, convocata honoranda Natione Gallicana, more solito, ad ædem D. Mathurino sacram, renuntiante D. Dernoncourt, dialectico Navarræ, quinque provinciis et eorumdem designatoribus consentientibus, Nationis Gallicanæ procurator factus est anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, undecima die martii.

Hujus magistratus tempore, contentio orta est inter D. Rectorem et Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis de præsentatione examinatorum licentiarum, quæ senatusconsulto dirempta non fuit.

Ejusdem tempore a viris selectis constitutum est et decretum, consentiente tota Academia, ob injuriam factam dignitati rectoriæ a quodam novò doctore, ut dominus Rector a novis doctoribus pileum cum testili perciperet.

II, fol. 29. Anno a Christi nativitate millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die vero vigesima tertia mensis septembris, in æde Mathurinorum comitiis pro more habitis, a quinque tribuum nominatis designatoribus Nicolaus Jacquart, diocesis Virdunensis, philosophie naturalis professor in nobilissimo gymnasio Marchiano, summo omnium applausu denunciatus est [procurator Nationis Gallicanæ].

II, fol. 21. Guillelmus Jamyn, diocesis Cenomanensis, postquam humanioribus litteris juventutem triennium erudisset physicus apud Cenomanos, convocata apud Mathurinorum ædem Natione Gallicana, [a] quinque designatoribus quinque tribuum procurator ejus-

dem Nationis renunciatus est anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo, die vero decima mensis martii.

II, fol. 70. Firminus Jobert, Parisinus, cum in primis apud regiam Navarram ordinibus per aliquot annos juventutem exercuisset, Mathurineis comitiis procurator Galliæ renunciatus est anno Domini 1592.

II, fol. 91 v°. Joannes Jollain, subdiaconus Parisinus, baccalaureus Theologus, socius Sorbonicus, habitis pro more comitiis apud Mathurinenses, honorandæ Nationis procurator electus est, renunciante viro clarissimo magistro Andrea Chevilier, doctissimo baccalaureo Theologo et socio Sorbonico, die decima octobris anni 1662.

J. Jollain.

Hujus tempore quæ gesta sunt reperientur in libro novo membranaceo procuratorum.

II, fol. 152 v°. Domino Balesaulx successit D. Jacobus Joly, Sylvanectensis, vir rectorius, secundi ordinis regiæ Navarræ moderator; qui quidem magistratu abiit die 16 decembris anno Domini 1608.

II, fol. 139. Jacobus Julien, in regia domo Navarræ bacchalaureus Theologus, Lutetiæ natus, comitiis habitis apud Mathurinenses, incredibili omnium consensione honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est renuntiatus, quinta mensis maii, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo.

Fol. 175. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, die vero decima sexta mensis novembris, electus fuit in procuratorium munus Nationis Gallicane Henricus Laberius, Campanus, ex parte capitis, nemine refragante.

H. Labbé.

II, fol. 69 v°. G. de La Faye, Parisiensis, post institutam per annos quinque in regia Burgundionum schola juventutem, octavum a magisterio annum agens, coactis per accensum honorandæ Nationis Gallicanæ comitiis, uno singularum tribuum consensu, per quinqueviros ejusdem Nationis procurator est renuntiatus, nono calendas octobris anno a Christo millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

Fol. 175 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, secunda junii, Stephanus Laffilé, Parisiensis, cum in tertio ordine Cardinalitio regeret, nemine reclamante, apud cœbium Mathurinorum honorandæ Nationis Gallicanæ electus fuit procurator.

II, fol. 148. Antonius Martin de La Fuye, Cænomanus, sacræ Facultatis Parisiensis Theologus, habitis pro more apud Mathuri-

nenses comitiis, unanimi omnium consensu, honorandæ Nationis procurator electus est die decima octobris 1668, et fasces procuratorii ipsi fuerunt prorogati usque ad octavum diem mensis januarii anni 1670, quo die libenter, etiam renitente Natione honoranda, procuratorium munus deposuit.

De La Fuye.

II, fol. 85. Antonius La Galle, Divionensis, procurator Galliæ fui creatus 14a die novembris, apud Mathurinos. Nil novi in meo magistratu contigit, præter controversiam rectoriæ dignitatis, quæ dirempta fuit senatusconsulto anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto.

Fol. 143 v°. Petrus de La Grange creatus est procurator Nationis Gallicæ, comitiis ad Divi Maturini habitis, iisque nulla largitione aut tumultu perturbatis, sed magna renunciatorum fide, anno a Christo nato millesimo quingentesimo tricesimo secundo.

P. de La Grange.

II, fol. xviii. Franciscus Laise, Cenomanus, sextum annum sui cursus absolvens, in juventute litteras humaniores apud celeberrimum Bonorum Puerorum museum docenda, coacta legitime Natione Gallica in ædem Mathurinorum, comitiis habendis locum dicatum, quinque designatorum et decanorum uno consensu et summo quinque tribuum applausu predictæ Nationis procurator est renuntiatus decimo quarto calendas decembres. Cujus acta quinque tribus grata, rata et accepta habuerunt, die martis decima tertia januarii, anno ab orbe redempto tricesimo nono supra sesquimillesimum.

II, fol. 138 v°. Claudius Alemanus secundo procurator electus est decimo tertio januarii, anno Domini 1582.

C. Lalemant.

II, fol. 24 v°. Joannes Lalemant, diocesis Eduensis, per annos quattuor professus grammaticen in celeberrimo Cardinalis Monachi collegio classicus cum esset, comitiis ad Divi Mathurini pro more habitis, quietis quinque tribuum designatoribus, nemine prorsus reclamante, illustrissime Nationis Gallicane procurator est renunciatus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, die vero quinta maii.

II, fol. 97 v°. N. Lambert, Parisinus, cum in Rhemensi schola per quadriennium continuum humaniores literas professus secundo ordini præfectus esset, convocata, pro more solito, in æde Mathurinensi Natione, summo omnium applausu, ab integerrimis designatoribus quinque, renunciante D. Jacobo de Ceully, procurator declaratus est tertio nonas maii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Ejusdem magistratus tempore, convocata apud D. Julianum Academia, conclusum fuit ut nullus imposterum redemptor juris pergamenarii sufficeretur in locum demortui Joannis Lalemant, sed ex antiqua consuetudine D. rectoribus vectigal ejusmodi penderetur.

N. L.

II, fol. 51 v°. Pierre DE LA PORTE, procureur de la Nation de France, 1629.

Fol. 137 v°. Jacobus DE LA TOUR electus est procurator anno Domini M° quingentesimo tricesimo, die decima 5a decembris.

J. DE LA TOUR.

Fol. 168 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die vicesima tertia mensis septembris, munus procuratorium adeptus est magister Joannes LAUNAY, famatissimi Cænomanorum collegii bursarius et ibidem logicorum preceptor, a quinque designatoribus electus : magistro Francisco Landry, magistro Petro Agron, magistro Gulielmo Tasohu (?), magistro Carolo Launay, magistro Michaele Herro, totaque veneranda Natione Gallicana haudquaquam refragante.

Fol. 122 v° et 175 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto, die vicesima sexta mensis augusti, electus fuit procurator honorande Nationis Gallicane magister Carolus DE LAUNAY, Meduanus, diocesis Cenomanensis, a quinque intrantibus : magistro Dyonisio a Porta, Parisiensi; magistro Philippo Boisot, Senonensi; magistro Florentino Jacquart, Remensi; Francisco Le Maistre, Turonensi; magistro Ferdinando de Villegast, Bituricensi; nemine in tota Natione refragante.

C. DE LAUNAY.

II, fol. xx v°. Petrus LAVENET, S[u]essionensis, postquam plures annos, quattuor in gramaticis, juventutem erudivit in celeberrimo collegio de Dormano, alias de Bellovaco, cujus nunc est submagister, legitime coacta Natione Gallicana in ædem Maturinorum comitiis habendis dictam, a quinque designatoribus et quinque tribuum decanis predictæ Nationis Gallicanæ procurator, præter spem et omnium expectationem (quod nulli pene unquam contigit), renunciatus est decimo quarto calendas decembres. Cujus acta quinque tribus rata, grata et accepta habuerunt, die veneris decima tertia januarii, anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

Fol. 137 v° et 9 v°. Joannes BLEVEUS, Cathalaunensis, Campanus, regens logicorum in celeberrimo Haricurie gymnasio, designatus fuit procurator honorande Nationis Gallicane, nemine refragante, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo nono, die quo

celebrabatur festum Annunciationis Deipare Virginis, septimo idus aprilis.

J. Le Blef.

Fol. 189 v°. Joannes Le Bouc, Albervilliacus, diocesis Parisiensis, procurator, preter spem designatus anno 1514, in vigilia Pasche.

Fol. 144 v°. Paganus Brectius, Cænomanus, Gallicanæ Nationis procuratorium, comitiis apud Navarram habitis, citra cujusquam injuriam adeptus est. Nullus enim apud Mathurinos suffragiis locus erat, quoniam perditorum hominum armis omnia tenerentur, ac deliberantium cervicibus gladius immineret. Designatores electi sunt citra controversiam viri boni : Jacobus Marchant, Parisinus; Stephanus Ferrand, Senonensis; Joannes Cholet, Remensis; Joannes de Launay, Turonensis; Antonius de Vege, Bituricensis, anno Domini millesimo quingentesimo XXXII., die quarta maii.

P. Lebrec.

Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, die jovis vicesima prima mensis octobris, Natione Francie convocata super procuratoris continuatione, privatus fuit magistratu suo magister Roderichus Dyes, provincie Bituricensis, idque propter malam administrationem, et in ejus locum suffectus fuit magister Paganus Lebrec, bursarius Theologus regalis collegii Navarre, qui eodem munere quondam functus fuerat.

P. Lebrec.

Fol. 54. Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo primo, die vero octava mensis aprilis, post Pascha, magister Franciscus Le Camus, Suessionensis diocesis, adeptus est procuratoris officium venerande Nationis Gallicane.

Le Camus, procurator.

II, fol. 92 v°. Nicolaus Le Conte, Meldensis, post institutam in scholis Barbaranis et Justicianis sex annos juventutem in grammaticis, rhetoricis et philosophicis artibus, his gymnasiis relictis, secundum in philosophia curriculum aggressus in regia Campaniæ, alias Navarræ, cum philosophiam naturalem in eodem collegio profiteretur, convocata ad ædem Divo Mathurino sacram honoranda Natione Gallicana comitiisque pro more habitis, fuit a designatoribus viris primariis et selectissimis quinque provinciarum ejusdem Nationis, maximo omnium consensu, sine vi ulla, procurator electus anno Domini 1568.

— Lectres (Joannes De). Voir De Lectres.

II, fol. 146 v°. Michael Le Febvre, cum informandis puerorum animis quatuor annos diligentem et industrium se præbuisset, con-

sentientibus omnibus Nationis Gallicanæ, procuratoria dignitate ornatus est anno ab orbe redempto 1587, mense vero junii 28.

M. LE FEBVRE.

II, fol. 34 v°. Jacobus LE FEVRE, Parisinus, cum grammaticorum ac rhetorum præcepta apud Burgundiones et Coquereticos sexquiennio suis tradidisset atque inde regiam Navarram ingressus, bursa theologa donatus fuisset, indictis (pro more) comitiis, uno eodemque omnium consensu a quinque tribuum Gallicarum designatoribus viris optimis et prudentissimis illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator est creatus anno ab orbe redempto quadragesimo septimo supra sesquimillesimum, die vero decima sexta novembris.

— LEFEVRE. Voir FABER.

II, fol. 106 v°. Petrus LEFORT, presbyter Suessionensis, licenciatus Theologus, habitis pro more comitiis apud Mathurinenses, designatus est honorandæ Nationis procurator die undecima mensis octobris anno 1600.

LEFORT.

II, 152. Joannes LEGER, Parisinus, D. Le Rouge successor, tributis comitiis (de more) apud Mathurinenses factis, communibus singularum tribuum votis honorandæ Nationis Gallicanæ, ex eventu suffragiorum procurator est renunciatus, idibus januarii anno post Christum natum supra millesimum sexcentesimo sexto. Quo munere diligenter functus, undecimo post mense, XVII. calendas januarii proxime sequentis anni magistratu abiens, sigillum procuratorium argenteum cum adnexis et invicem catenatis triginta sex annulis itidem argenteis, successori sibi dato D. Balessaulx tradidit.

Ipsi successit magister Stephanus LEGER, baccalaureus Theologus, socius Navarricus et apud regiam Navarram philosophiæ professor.

Huic vero successit M. Joannes JOLLAIN, baccalaureus Theologus et socius Sorbonicus, quo tempore in rectorem electus est vir clarissimus magister Petrus de Lenglet, Bellovacus, et in Sorbonæ Plessæo eloquentiæ professor, qui jam temporibus difficillimis bis rector fuerat.

Fol. 188. Joannes LE HOUX, Cenomanus, electus est comitiis centuriatis, apud Sanctum Maturinum habitis, ad munus procuratorium exercendum honorande Nationis Gallicanæ, quarto idus februarias, anno Domini millesimo sesquimillesimo trigesimo quarto.

II, fol. 32 v°. Antonius LEITANUS, Lusitanus, Eupyrgensis, cum

apud Barbaranos naturalem philosophiam profiteretur, deque novo procuratore creando ageretur, convocata ad eam rem in ædem Divi Mathurini (ut fieri consuevit) honoranda Natione Gallicana, ejusdem Nationis collectis per omnes tribus suffragiis, omnium summo applausu procurator creatus est anno a Virginis partu millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, quarto idus mensis februarii.

A. Leytanus.

II, fol. 71 vo. Ludovicus Le Lievre, diocesis Parisiensis, peracto triennio in edocenda juventute in grammaticis et rhetoricis, idque in famatissima Montanorum academia, a quinque designatoribus, cum omnium summo applausu nec aliquo refragante, procurator est electus duodecimo calendas novembres, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo.

— Le Lievre. Voir Lepus.

Fol. 189 vo. Carolus Le Maignen, Lavalensis, Cenomanensis diocesis, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, electus est in procuratorem, in crastinum sancti Ludovici.

II, fol. 28. Henricus Le Magnien, Meldensis, secundo ordini prefectus in gymnasio Lexoveo, convocata ad ædem D. Mathurino sacram provincia Galliæ, a quinque designatoribus, pro more, procurator ejusdem provinciæ delectus est, summo omnium applausu, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die secunda junii.

II, fol. 67 vo. Guilielmus Le Maire, Parisiensis, in sacra Theologiæ Facultate licenciatus, e regia societate Navarrica, renuntiante Joanne Jollain, viro procuratorio, socio Sorbonico, nec non idem licentiæ curriculum emenso, honorandæ Nationis [Gallicanæ] procurator a quinqueviris electus est die octobris decima anni 1664 apud Mathurinenses, successitque clarissimo philosophiæ apud Grassinæos professori et gymnasiarchæ Joanni Hersays.

Le Maire.

II, fol. xix. Joannes Le Maire, Carnutensis, postquam juventutem in gymnasio de Dormano, alias Bellovaco, literis humanioribus erudiisset, physicus antiquissimi collegii Haricuriæ, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus reclamante, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est renunciatus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, vigesima sexta augusti.

II, fol. 148. Joannes Le Mercier, Castrothierricus, collegii Bellovaci vicemagister, cum quartum annum docendi ageret et a tertia primæ classi præesset, pro more habitis comitiis apud Maturinen-

ses, a quinque provinciarum designatoribus, renunciante prudentissimo viro D. Medardo Bourgeotte, ejusdem collegii primario, summo consensu omnium Galliæ procurator quadrimestri, die 28. junii anno 1597 subrogatus, sequenti procuratoriæ renunciante disertissimo eodem viro D. M. Bourgeotte, ab iisdem ellectus est die 21. octobris.

J. Le Mercier.

II, fol. 147 v°. Procuratore Galliæ Joanne Mercerio, dissidium ortum est inter D. Nepveu, jam secundo rectorem, et D. Jamin, baccalaureum Theologum, rectoriæ dignitatis candidatum; quorum ille, cum tertio rector continuus eligi voluisset et a tribus designatoribus electus fuisset, hic autem ab uno tantum ipso Mercerio, Gallicanæ Nationis designatore, nominatus fuisset, re ad supremum senatum per procurationem delata, utriusque auditis rationibus et eorumdem patronis, irrita priori electione, ad novam recurri senatusconsulto decretum est, et concordibus tandem suffragiis, eodem ipso renunciante D. Ion, collegii Navarrici subprimarius, insperato magistratui summo cum Gallorum aliorumque applausu suffectus est, eodemque Joanne Mercerio multis colaphis percusso cum irrisione, magno Normanorum applausu[1].

II, fol. 29. Anno a Christo nato 1545, 14. calendas decembris, habitis ex more comitiis in æde Mathurinorum a quinque provinciarum designatoribus, Nicolaus Le Myre, apud Bonos Pueros secundo grammaticorum ordini præfectus, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ summo omnium applausu est electus.

Fol. 185 v°. Philipus Lepus, procurator, 1625.

Fol. 145. Franciscus Le Roux, Parisinus, tranquillissimis omnium quorum interest suffragiis, Nationis Gallicanæ procurator electus est anno Virginei partus sesquimillesimo tricesimo, duodecimo kalendas novembres.

In gymnasio Montis Acuti, gratissimo religionis et bonarum literarum domicilio.

Fol. 147 v°. Franciscus Le Roux, Parisinus, procurator Gallicus.

F. Le Roux.

— Le Roux. Voir Ruffus.

II, fol. xv. Renatus Le Roy, Cenomanus, phisicorum Bellovacorum preceptor, concordibus omnium Gallorum preclaræ Artium Facultatis preceptorum et magistrorum sententiis, unaque omnium voce designatus est honorande Nationis Gallicæ procurator, die lune 19ª mensis novembris anni septimi et tricesimi supra sesqui-

---

1. La fin a été biffée depuis : « eodemque Joanne ».

milesimum. Quo quidem magistratum procuratorium gerente, ut hic procuratorum liber ex membranis conficeretur decretum est; compactus itaque ejusdem procuratoris opera scriptus est, nec non insignioribus illis elementis seu litteris majusculis et crucifixi Christi imagine cura ipsius adornatus est.

Fol. 141. Philippus Leschasserius, Parisinus, eorum qui inter philosophie incumbentes juvenes primas tenent ordini et classi cum preesset in Cardinalitio gymnasio, nemine refragante, illustrissimæ Nationis Gallicane procurator designatus est apud Sanctum Mathurinum, anno Domini sesquimilesimo tricesimo sexto, die vicesimo quinto mensis augusti.

P. Leschasserius, procurator.

Fol. 143. Hugo Lespervier, Trecensis, electus est in procuratorem Nationis Gallicanæ, nemine reclamante, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo nono, die vero decima tertia mensis januarii.

H. Lespervier.

II, fol. xvii v°. Joannes Le Vasseur, Parisiensis, postquam humanioribus literis juventutem biennium erudiisset, physicus apud Cænomanos, coacta in Mathurinorum ædem Natione Gallicana, quinque designatoribus quinque tribuum, procurator ejusdem Nationis renunciatus est anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo nono, die secunda mensis junii.

II, fol. 77 v°. Johannes Le Voila, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ, anno Domini 1563, die vero 6. mensis aprilis.

Levoila.

II, fol. 51. Petrus Loret, diocesis Aurelianensis, quum aliquot annos in regali collegio Campaniæ, alias Navarræ, juventutem præceptis quum grammaticis tum rhetoricis instituisset, habitis pro more comitiis in æde Mathurinorum, a quinque viris in procuratorem est electus, nullo reclamante, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, die vero septembris vicesima tertia.

II, fol. 45 et 136. Dionisius Lucanus, Parisinus, cum informandis puerorum animis quinque annorum spatio industrium ac diligentem se præbuisset valde, consentientibus universis et singulis, Nationis Gallicanæ procuratoria dignitate ornatus est 4° non. maias 1580.

Hujus magistratus tempore Lutetiæ Parisiorum pestilentia grassata est, adeo infesta studiis et præclaris actionibus, ut non modo gymnasia discipulis, sed etiam tota pene urbs civibus suis exinanita fuerit. Qua calamitate Lutetiam exercente, cum nonnulli Jesuitanæ

familiæ, qui se peste laborantibus ad ministranda sacramenta obtulerant, sacellum Divo Symphoriano consecratum, quo se reciperent, ne ceteros sui Ordinis contagione lederent, a politiæ judicibus peterent, intercedente vigilantissimo rectore domino Deniseto, ab eodem loco qui, in media Universitate situs, undique gymnasiis cinctus est, repulsi sunt.

Huic procuratori accidit, quod nemini antea, ut semestris esset ejus dignitas non infausta, Diis ita volentibus.

LUQUIN, procurator.

II, fol. 144 v°. Gonterius MACLOTIUS, bacchalaureus Theologus ac philosophorum Navarræorum supprimarius, peracto in ea domo philosophiæ cursu alteroque incepto, gerendæ dignitati procuratoriæ altera justi temporis parte omnium provinciarum consensu est designatus 3° idus februarii 1585.

Idem in sede procuratoria justo magistratus tempore obtinenda est constitutus 5° idus martii.

Fol. 168. Magister Eligius MAGNIEN, Suessionensis, apud Bellovacos phisices professor, comitiis legitime celebratis in æde Divo Mathurino sacra, nemine refragante, duodecimo calendas octobris creatus est procurator Gallus summa fide quinque designatorum : in provincia Parisiensi, magistri Joannis Frondebeuf; in Senonensi, magistri Joannis Segueneau; in Remensi, magistri Jacobi Bridoul; in Turonensi, magistri Renati Le Roy; in Bituricensi, magistri Sebastiani Chauldesolle; anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto.

E. MAGNIEN.

Fol. 175 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto fuit designatus procurator Gallus Eligius MAGNIEN, diocesis Suessionensis, in ede Divi Mathurini, pacificis comitiis, die 21ª mensis octobris.

E. MAGNIEN.

Fol. 168. Joannes MAGNIEN, diocesis Suessionensis, munus procuratorium venerande Nationis Gallicane est assequutus, decima quinta die decembris, anno Domini 1522.

J. MAGNIEN.

II, fol. 33. Philippus MAHEUT, diocesis Parisiensis, cum philosophiam per tres annos et plus eo Lutetie Parisiorum apud Cenomanos docuisset, comitiis, ut moris est, in æde Divo Mathurino sacra habitis, a quinque tribuum designatoribus procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ est declaratus anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, septimo idus aprilis.

Fol. 129 v°. Magister Claudius DE MAILLY, Parrhysinus, adeptus

est munus procuratoris venerande Nationis Gallicane anno Domini 1524, die 26 augusti.

De Mailly.

II, fol. 61. Guilelmus Malerbault, diocesis Lemovicensis, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, post quinquiennium in grammaticis et rhetoricis cum tertio præfectus esset ordini apud Haricurianos edocendis revolutum, a quinque viris designatoribus, nullo penitus reclamante, ad munus procuratorium evectus est die decima sexta mensis decembris.

Hujus magistratus tempore, Universitatis reformatio a cardinale Lotharingo, adhibitis præsidibus et senatoribus nonnullis supremi senatus, est inchoata.

Hic etiam librum Conclusionum emendum curavit.

II, fol. 90. Jacobus Marandus, Lutetianus, secundum in lycæo Aristotelico cursum dimensus, a quinque centuriis honorandæ Nationis Gallicanæ in ejusdem procuratorem, communi omnium acclamatione, electus est anno Domini millesimo sesquimillesimo sexagesimo septimo, septimo calendas octobris, quo tempore Lutetiana civitas ab hæreticis obsessa tenebatur.

J. Marandus.

II, fol. 112 v°-113 v°. Nicolaus Marchant, diocesis Trecensis, absoluto triennio in juventute literis humanioribus informanda apud Plesseos, philosophicum cursum in licæo Marchiano agressus, convocata in edem Maturinorum Natione Gallicana, a quinque Gallicarum decuriarum designatoribus (renunciante domino de La Croix), nemine reclamante, procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ est constitutus 1. junii 1575.

Hujus magistratus tempore, tertio die ejusdem mensis, convocatæ sunt omnes Facultates Academiæ a domino Tissart, rectore, super articulis Maldonati, de Conceptione Beatæ Mariæ et de Purgatorio; quorum totum negotium relatum est ad sacræ Theologiæ doctores.

Rursus 18. ejusdem mensis, eædem Facultates fuerunt convocatæ super anathemate episcopi Parisiensis, qui, quoniam dominus Tissart, rector, proposuerat omnibus Facultatibus dictos articulos Maldonati, cum et cæteros Academiæ primarios anatemate percussit, declaratumque est et conclusum episcopum Parisiensem non posse ferire anathemate neque rectorem, neque cæteros Academiæ proceres. Eademque congregatione fuit condemnata opinio Maldonati, tanquam heretica.

Vigesima sexta jullii Jesuati porrexerunt libellum supplicem illustrissimo cardinali a Borbonio, ut ejus favore admitterentur in consortium Academiæ; qui quidem cardinalis, convocato domino de Rouen, rectore, et procuratoribus Nationum, illum supplicem libel-

lum ostendit ut renunciarent toti Academiæ Jesuatos omnibus votis cupere ascribi numero suppositorum Academiæ. Quod, dum Rector proposuisset omnibus Facultatibus in æde Maturinensium, conclusum est ut prius ostenderent sua diplomata et bullas, et categorice dicerent quales essent, an seculares, an vere monachi.

Decima nona augusti, deputatis in sacello Sorbonico quatuor ex Jesuatis obtulerunt suas bullas Rectori, quæsitumque est ab eis quales se esse profiterentur, respondentes in suis collegiis duo esse genera hominum : alios enim professione et re ipsa non monachos (illis enim visum est odiosum nomen monachi), sed religiosos, qui non docent juventutem; alios esse novitios, qui disponuntur ad religionem, neque publica vota fecerunt, et hii docent; quo nomine ab omnibus appellati fuere monachi, propterea quod nullum est ut discrimen inter eos et ceteros monachos.

Vigesima octava ejusdem mensis convocati sunt deputati apud Maturinenses, ut, audita lectione eorum quæ continentur in bullis Jesuatorum, quid sentirent, libere significarent; tandem omnium consensu et calculo conclusum est eos re vera esse monachos et ideo non posse admitti in consortium Academiæ, nisi ut ceteri monachorum Ordines.

Postremo, hujus magistratus tempore magna fuit lis et controversia orta inter reverendissimum patrem episcopum Meldensem et episcopum Bellovacensem, de conservatione privilegiorum Academiæ; tandemque, reluctantibus duabus Facultatibus Theologiæ et Medicinæ, electus fuit in conservatorem episcopus Meldensis, et omnium applausu et consensu constitutus in sedem conservatoris per suum procuratorem episcopum Diniensem.

MARCHANT, procurator.

II, fol. 24. Joannes MARESCHAL, Parisiensis, humaniores artes in celeberrimo Montanorum gymnasio quadriennio professus, habitis pro more apud Mathurinorum ædem comitiis, quietis quinque decuriarum designatoribus, nullo prorsus reclamante, illustrissime Nationis Gallicane procurator est declaratus anno Domini 1542, die vero decima mensis februarii.

II, fol. 27. Nicolaus MARGOULLER, Colummariensis, tertio ordini apud Calvicos præfectus, convocata ad ædem D. Mathurino sacram provincia Galliæ, a quinque designatoribus, pro more, procurator ejusdem provinciæ delectus est summo omnium applausu, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, decima sexta decembris.

MARGOULLER.

II, fol. 136. Petrus MARLIN, Montargiensis, Senonensis diocesis, baccalaureus in sacra Theologiæ Facultate Parisiensi et socius

regiæ familiæ Navarricæ, omnium honorandæ Nationis Gallicanæ tribuum suffragio creatus est procurator die decima octobris anno 1643, et eodem die ac mensi anni sequentis, ob adeptum licentiati Theologi gradum et imminens laureæ sumendæ tempus, locum cessit magistro Ludovico de Saint-Amour, Sorbonico. Hæc scripsi in regia Navarra, die decima octobris anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti.

P. MARLIN.

Postea ecclesiæ Sancti Eustachii parochus dictus Marlin.

II, fol. 150. Ludovicus MASSERON, Cenomanensis, baccalaureus Theologus, habitis pro more comitiis generalibus, honorande Gallorum Nationis creatus est procurator, die decima octobris anni 1676.

MASSERON.

II, fol. 77. Thomas MASSON, Cathalaunensis, cum apud inclitam Marchianam aliquot annos in humanioribus literis profitendis absolvisset, et deinde regiam Campaniæ, alias Navarræ, in sacrosanctæ Theosophiæ cursu absolvendo coleret, habitis pro more comitiis in æde Mathurinorum, uno omnium consensu a quinque viris in procuratorem honorandæ Nationis Gallicanæ electus est anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, 16 calendas decembres.

Fol. 53 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo quinto, die januarii decima, ad procuratorium magistratum honorande Nationis Gallicane Nicolaus MAUJEHAN, Cathalaunensis, nemine reclamante, est electus, quattuor integre fidei intrantibus : M. Pluyette, Parisino, Cammillo Bouchetto, grece litterature peritissimo; Joanne Collineo, homine elegantissimo; Joanne de Castro, Hispano et viro sacrificulo Turonensi.

II, fol. 145 et v°. Andreas MELLEUS Tremulanus (vulgo de la Tramblaye), Pareneus, Lavallensis, Cœnomanus, cum quintum professionis instituendæ juventutis Plessææ annum ageret, secundo ejusdem gymnasii præfectus ordini, uniformi omnium tribuum voce procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ, domino Bardolio referente, designatus est 10. februarii 1586.

Idem, postquam saluberrimæ Facultatis Medicinæ baccalaureus esset factus, 9. die aprilis ejusdem anni 1586, in eadem dignitate procuratoria Gallicana iterum in bimestrem sequentem prorogatus est; quo denique finito successori dignissimo credens, ab iisdem quinque tribubus rata et probata sunt quæcumque toto quadrimestri ab eo in ea dignitate gesta fuerant.

Magistratus hujus tempore, excessit e vivis dominus Philebertus,



in supremo senatu Accademiæ procurator litium, in cujus locum suffectus est dominus Gaultier.

Cum pergamenariis defuisset locus ad recipiendum pergamenum aliunde advectum, quatuor Nationibus congregatis statutum est procuratorem a fisco et quæstorem Accademiæ locum idoneum quæsituros, conducturos et ex ærario publico (sicut antea) prætium conductionis persoluturos esse, 20 maii 1586.

Mense maio, Jordanus Brunus, Italicus, qui maximum numerum indigestarum propositionum contra Aristotelem et Peripateticos defendendum suscepisset, nec unicam potuisset, cum maximo populi applausu explosus est.

A. Mellé.

II, fol. 109. Rolandus Menantius, bachalaureus Theologus, Montanus, diecesis Cenomanensis, procurator Nationis Gallicanæ consensu communi constitutus est die decima februarii 1574.

Hoc tempore conjuratio plus quam Catilinaria in Regiam Majestatem, statum ejus et regni innotuit, istiusque conspirationis authores, coadjutores et fautores partim deprehensi et compediti, partim convicti et senatus supremi gravi decreto capite truncati; quæ Dei providentia revelata credimus, quibus tam miseris et infaustis temporibus quis mortalium fœlix esse potuit?

Fol. 186. Magister Nycholaus Menuel, Trecensis diocesis, adeptus est procuratoris officium anno Domini 1516°, ante Pasca, 10ª februarii.

II, fol. 60. Gervasius Millon, Parisinus, post edoctam a se apud Marchianos in grammaticis juventutem, cum apud Cænomanos physicus philosophiæ cursum absolveret, habitis pro more apud Sanctum Mathurinum comitiis quinque tribuum Gallicarum, uno eodemque consensu universæ Nationis Gallicæ procurator delectus est, anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo quinqua[ge]simo sexto, septimo calendas septembris.

Fol. 144. Joannes Milot, diœcesis Heduensis, præceptor logicorum in gymnasio Burgundionum, renuntiatus fuit procurator Nationis Gallicanæ anno salutis Christianæ sesquimillesimo tricesimo, die vero decima mensis februarii.

J. Milot.

II, fol. 77 v°. Claudius Milson, classicus apud regiam Navarram, ad munus procuratorium fuit vocatus 1562, 4° idus februarii.

C. Milson.

Minori Villa (Stephanus a). Voir Petiteville (Étienne de).

II, fol. 75 v°. Petrus Mollineus factus procurator mense august[o]

anni 1562; peste extinctus est post primum sui magistratus mensem et expensis Nationis sepultus.

II, fol. 146 v°. Emundus Monnyer, bacchalaureus Theologus, Burgundus, diocesis Matisconensis, convocata Natione Gallicana in ædibus Divo Mathurino sacris, quarto idus februarii procuratoriis fascibus ornatus et cohonestatus est anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo septimo.

Magistratus sui finito tempore, procurator secundo, laudante Natione universa, est renunciatus.

Hujus magistratus tempore, nuncius summi pontificis Sixti fatis concessit, ad cujus funus tota convenit Academia.

Hujus etiam magistratus tempore, Scotorum regina, quondam Francisci secundi, regis Francorum, uxor, ab impia regina Britannorum capite truncata est, non sine maximo Gallorum luctu, tum vero eo maxime nomine quod fidem catholicam profiteretur; ad cujus tamen funus tota convenit Academia ad tantæ reginæ exequias cohonestandas.

II, fol. xvi v°. Gulelmus de Montvelle, S[u]essionensis, physices apud Haricurianos professor, post exactum philosophiæ curriculum fœliciter in gymnasio de Dormano, alias Bellovaco, cujus nunc est magister et primas, vicesima prima mensis octobris, quietis quinque designatoribus singulisque decuriis, nemine prorsus reclamante, honorande Nationis Gallicane procurator est renunciatus anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo tricesimo octavo, vigesima secunda mensis octobris.

II, fol. 149. Paulus Moreau, Blæsæus patria, Cardinalitii ludi moderator primarius, habitis, pro more, apud Mathurinenses comitiis, per quinque Nationis Gallicanæ proceres, perque totidem ex singulis provinciis renuntiatores, multo universorum consessu consensuque, Gallicanæ ejusdem Nationis procurator selectus est, die novembris uno et vigesimo, anno post Christum natum ex Virgine duodesexcentesimo.

P. Moreau.

Magistratu abiit post menses undecim, die vigesimo primo mensis octobris, anno A. V. P. M. undesexcentesimo.

P. Moreau.

II, fol. 151 v°. Sigillum Gallicanæ Nationis argenteum, totidem alligatum annulis quot habuit dum sibi est traditum (sex nimirum et triginta), D° Laurentio Bourceret, Artistarum Navarrensium primario et Nationis ejusdem procuratori, reddidit Cardinalis scholæ primarius atque ex procurator, die octobris 27 anno 1599.

P. Moreau.

II, fol. 110. Thomas Moreau, Lavalensis, quarto Navarræorum ordini præfectus, omnium provinciarum consensu Nationis Gallicanæ procurator factus est, septimo calendas septembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Magistratus prædicti tempore, Henricus tertius, Galliæ et Poloniæ rex, e Sarmatia Polonorum regno Lugdunum Galliæ urbem appulit.

Ejus quoque tempore, Joannes Mulot, mercator, quanquam viarum curator esset electus, postridie quo fidem dare debebat ad Nationem, ut nuntius fieret, venit factus; senatus decreto nuntiorum privilegiis gaudet, aliisque huic muneri obeundo præfectus est.

II, fol. xv v°. Joannes Morellus, Cænomanus ac Lavallensis, ἐν τῷ τῶν Ἀγαθοπαίδων γυμνασίῳ logices professor, decima quarta die mensis januarii, consentientibus quinque et renuntiatoribus et decanis, plaudentibusque omnibus præclaræ Facultatis Artium liberalium magistris, illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator designatus est. Cujus inter manus hic membraneus codex primum circumferri cœpit, deinde publicis suffragiis ab eo conclusum est, ut pecuniæ pro libello impensæ resarcirentur, anno Domini tricesimo septimo supra sesquimillesimum.

Fol. 189 v°. Mathurinus Morelli, Turonensis diocesis, procurator, anno Domini millesimo quingentesimo octavo.

II, fol. 120. Tussanus Moricius, Lutetianus, quum quatuor annos continuos rexisset apud Plessæos et in quinto actu regeret, celebratis in æde Mathurinensium comitiis a quinque designatoribus ex totidem tribubus Nationis Gallicanæ, firmissimo eorumdem assensu, referente domino Thoma Scourjon, viro procuratorio, decimo sexto calendas januarii dignitate procuratoria decoratus fuit anno Domini 1576.

Hujus magistratus tempore, solenniter in æde Divæ Mariæ, defuncto Maximiliano, imperatori Romano, justa sunt persoluta, congregatis omnibus ordinibus ac communitatibus.

Eodem tempore, convocato pro more apud Divum Julianum Artium præclara Facultate, pro creandis licentiandorum examinatoribus, cum dominus procancellarius Sanctæ Genovefæ quatuor ex totidem Nationibus nominasset dominus Denisetus, ab eodem pro Natione Gallicana nominatus, a Natione non fuit admissus, quod dialecticus apud Lexoveos examini vacare commode non posset; sed in ejus locum electus fuit dominus Clemens Jacob, Theologus Sorbonicus, cujus electio, procuratore Nationis a domino Cancellario in jus vocato, quod dominum Denisetum a se nominatum examinatorem esse vellet, a supremo senatu confirmata fuit.

II, fol. 100 v°. Ægidius Morier, Parisinus, cum humaniores litteras in collegio Bellovaco, Plesseo et Cardinalitio professus fuisset, et per quinque annorum spatium, ut juventutem optimis et sanctissimis moribus et disciplinis institueret ac informaret, peregre profectus fuisset, atque iterum reversus easdem litteras in primo ordine collegii Bellovaci docuisset, nonum a magisterio annum agens, convocatis pro laudabili consuetudine quinque centuriis honorandæ Nationis Gallicanæ, renuntiante domino Gabriele Pot, summo omnium consensu et applausu Nationis Gallicanæ procurator electus et creatus est septimo aprilis anno Domini 1571.

Æ. Morier, Parisinus.

II, fol. 101 et v°. Mei magistratus tempore, reclamantibus omnibus superioribus Facultatibus atque præclara Artium Facultate de musices et poetices nova illa Academia, quam erigere volebant Baifius, Gallicus poeta, et ejus de Corville socius doctus, alioqui impius et proditor patriæ regiæque Majestatis hostis infestissimus. Iterum explausa fuit atque eam ob causam designati sunt tres doctores in sacratissima Theologiæ Facultate, Vigoreus, Faber et Prevotius, cum domino Carpentario, medico et professore regio, qui adirent reverendissimum antistitem Parisiensem et cum eo de ea Academia nova et de litteris, quas a Rege obtinuerant pro ejusdem instauratione, plura communicarent eumque rogarent ut Regem adiret, oraturus ut ea quæ nova Academia, vel potius atheorum schola, explauderetur et ex nostris finibus ac terminis procul pelleretur.

Eodem tempore, orta est contentio inter scriptores urbis Parisiensis et eos qui privatim artem scribendi docebant, quia qui publice, et præcipue Perier et Fustel, scriptores Academiæ, artem scribendi profitebantur, a Rege Christianissimo litteras obtinuerant, fortasse subreptitiæ, quibus cautum erat ne quis artem scribendi doceret, nisi prius a procuratore regio in Castelleto vel alio in loco receptus fuisset, atque a quatuor antiquioribus scriptoribus dignus qui eam artem doceret judicaretur quibus litteris regiis. Intercessit Academia ne illæ a supremo senatu confirmarentur, cum oporteat rectorem de his sententiam ferre. Statutum est igitur ut scriptores Academiæ, qui ejus jura debent tueri, eadem defenderent et ab incœptis desisterent, nisi beneficiis et Academiæ privilegiis vellent privari, atque inde liberum esset unicuique, sive privatè sive publicè, artem scribendi (quæ libera et liberalis est) docere, dummodo de religione et integritate vitæ constaret; quod ut agnosceretur, vocati sunt omnes scriptores, qui fidem darent Academiæ et religionem catholicam profiterentur coram domino Rectore et viris selectis ac deputatis.

Orta est etiam contentio de decanatu Parisiensi inter dominum

Bigotium, dialecticum Bellovacum, et dominum Darseum, tunc temporis septimum Montanum, quibus Academia adjunctionem denegavit, quia ambo ejusdem alumni essent et tandem res ad supremum senatum a Darseo evocata est.

Tunc temporis rector erat Academiæ dominus Carolus Gilmer, anno Domini 1571.

MORIER.

Fol. 122 v°, 170 et 189 v°. Magister Joannes MORINUS, diocesis Valentie, electus fuit procurator venerande Nationis Gallicane anno Domini 1526, die 22ª mensis octobris.

J. MORIN.

Fol. 168 v°. Oliverius DE Moscoso fuit electus in procuratorem Academiæ Parrhysiensis anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo 3°.

II, fol. 74 v°. Antonius MULDRAC, ejusdem collegii Haricuriani classicus, cum antea eundem et secundum ordinem apud Bellovacos, sextum apud Barbaranos duxisset, idibus januarii, una voce omnium Gallorum, electus est procurator anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

Decima quarta februarii ejusdem anni, apud regiam Navarram, conclusum est ne bidelli sive apparitores majore sed pari jure gauderent cum decanis singulis in creatione nuntiorum, ut videlicet //// ///// perciperent, idque conquerente magistro Remigio Brillet.

Superioris paginæ conclusioni eodem die additum est, ut nullus pecuniam in distributionibus acciperet, nisi qui sacro interfuisset, postulante questore, magistro Joanne Vassogne.

II, fol. 31 v°. Nicolaus MULOT, Parisiensis, naturalis philosophie professor in celeberrimo gymnasio Harricurie, habitis, pro more, comitiis loco consueto, Gallicane Nationis procurator a quinque designatoribus, nemine reclamante, declaratus est anno Domini 1546, die 21. mensis octobris.

II, fol. 143 et v°. Joannes NICOLAS, Parisiensis, tertium ordinem ducens in Rhemorum Cenomano, anno 1584, calendis junii, Nationis Galliæ procurator cunctis suffragiis fuit declaratus; referebat autem Michael Thiriot, tribulis suus.

Hoc tempore, Franciscus Valesius, Henrici III. regis frater, non sine magno totius Galliæ vulnere, morbo extinctus est; cujus funus cum efferetur Universitas Academiæ huic luctuose parentavit, in sessionibus honorificis suo loco locata est.

Ratiunculas collegii Cenacii quæ supererant, domestico procuratore intermortuo, vidit. Porro cavebunt posthac procuratores Galliæ ne id juris, quod suum est, deperdant, cum novissimos homi-

nes præsentierimus illud ipsum Nationi velle præcipere, quibus religioni non esset Vetus Testamentum violare, infringere statuta, sacrosancta antiquare.

Joannes Nicolas iterum Nationis Gallicæ procurator renuntiatus fuit VIII. calendas octobris; referebat tribulis Joannes Filesac.

Hoc die, sic procuratore postulante, singulæ quæque tribus Gallicæ Nationis censuerunt ut quod fortuitum emolumentum procuratori contigisset, penes illum maneret, etiamsi abiisset magistratu, si grande emolumentum fuerit, qui post geret procuraturam, duos aureos ex emolumento præcepto jure suo poterit repetere, propterea quia officia mandare tunc temporis sit suum. Hoc autem et a Natione primum VIII. calendas octobris sancitum fuit, deinde nonis octobris ab Universitate Academiæ confirmatum, majoribus habitis comitiis, ut malitiosorum hominum decipulas, qui Universitatis commoda oppugnant, vitare possemus.

J. NICOLAS.

II, fol. 95 v°. Jacobus OGIER, Cenomanus, cum triennium in Marchiano et quadriennium in Plessæo gymnasio juventutem instituisset et stadium philosophicum in lycæo Remensium pene docuisset, comitiis apud ædem Divo Mathurino sacram pro more habitis, a quinque tribuum designatoribus Gallicanæ Nationis procurator designatus est, anno Domini sesquimilesimo sexagesimo nono, die vicesima tertia mensis septembris.

II, fol. 31. Franciscus DE ORGEMONT, Parisiensis, apud Cænomanos dialecticus, Gallicana in ædem Divo Mathurino sacram Natione convocata, ejusdem Nationis a quinque designatoribus, comitiis tranquillis et sedatis, procurator electus est anno Domini 1546, die 20ª mensis augusti.

II, fol. 151 v°. D. Collin, summo Plessæi collegii moderatori, successit in annuum procuratoris Galliæ Nationis magistratum Johannes OUDINET, baccalaureus Theologus, perendie ab idibus decembris anni 1602.

J. OUDINET.

II, fol. 25. Natalis PAILLET, diœcesi quidem Ambarus sive Nivernensis, patria vero Molinas, Lutetiæ Parisiorum in regio Burgundionum lyceo philosophie naturalis professor, ad sextum idus martias anni quadragesimi tertii supra mille quingentos ab orbe redempto, accitis per apparitorem, edicto domini procuratoris Joannis Cointerel, illustrissime Nationis Gallicæ comitiis, et de successore deligendo ad Divi Mathurini, pro veteri more, coactis, summa quinque virorum consensione, ex ipso die ejusdem Nationis procurator electus et renunciatus est, atque uno sum tribulum ac provincialium ore singulari adgratulatione comprobatus.

II, fol. 105. Claudius Palliot, Lutetianus, cum per quadriennium juventutem, non nisi in superioribus ordinibus, tum apud Plessæos, tum Prællæos et Bellovacos, ita liberaliter erudiisset, ut discipulorum animis (pudore ac liberalitate) præceptorumque officiis (honesta familiaritate) sibi passim devinctis, tandem e docendi spatiis ad securum otium traductus, in Dormana domo quasi dormitaret, ad oneris simul et honoris procuratorii fasces excitatus est, apud Mathurinos solenni more convocata Natione Gallicana, suffragantibus omnibus, renunciante domino de Cueilly, Parisiensi, bachalaureo Theologo, 17 calendas januarii 1572.

C. P. L.

Fol. 145 v°. Stephanus Palu, diocesis Sagiensis, uno omnium ore procuratorium Nationis Gallicane consequutus est, designatoribus magistris Petro Brebier, logicorum gymnasii Justicie preceptore, provincie Parisiensis; Claudio Bertot, Marchiano preceptore, provincie Senonensis; Nicolao Buirette, Bonorum Puerorum preceptore, provincie Remensis; Johanne Launay, apud Cenomanos preceptor artium, provincie Turonensis; Michaele Erro, ejusdem gymnasii logicorum preceptor, anno Domini millesimo quinquagesimo 32°, ante Pasqua, septimo idus aprilis.

S. Palu, Nationis Gallicane procurator.

II, fol. 89 v°. Joannes Paradis, Rhemensis, procurator Galliæ, 2ª junii 1567.

II, fol. 59. Claudius Parentius, Lutætianus, cum apud inclytam Cardinalis scholam in profitendis literis humanioribus triennium continuum absumpsisset, cumque ibidem se ad philosophicarum artium professionem convertisset dialecticorum ductor, quinque provinciarum Gallicarum insigni applausu et quinque designatorum syncero judicio procurator honorandæ Nationis Galliæ est creatus anno 1556, 4° nonas maii.

II, fol. 75 v°. Bartholomeus Passart, Parisinus, cum quadriennium juventutem Lexoveam edocuisset, sequentique anno medicinæ daret operam in regio Burgundorum collegio, a quinque tribuum designatoribus, omnium suffragiis, necnon iisdem omnibus consentientibus et aplaudentibus, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator electus est anno Domini 1562, die 5° maii.

Eo procuratore juramentis nunciorum adjectus est postremus articulus de fide catholica et romana, tota Natione illud ipsum postulante.

II, fol. 118. Thomæ Scorjon, Academiæ amantissimo, successit Julianus Peletarius, levissimis tantum fidei mutandæ ingeniis

reclamantibus et Allobrogi proditoria ambitione procuratoriam ambienti suffragantibus.

Joannes PELETARIUS fratri successit.

II, fol. 111 v°. Joannes PESCHAND, Lemovicensis, decanus provinciæ Bituricensis, phisicis Navareis præfectus, quarto idus februarii, Mathurinensibus comitiis, procurator Nationis Gallicanæ renuntiatus est, referente domino Quinefaut, dialectico Montano.

Hujus magistratus tempore, publicis totius Academiæ comitiis Mathurinensibus, constitutum est non esse cancellarii Divæ Genovefæ tentatores superioris examinis præsentare.

Eodem tempore magister Jacobus de Cuilly, rector, Regem adiit, ut ejus ex Pollonia faustissimo reditui congratularetur, eidemque, nomine Accademiæ salutato, immunitates et privilegia Academiæ commendaret.

II, fol. 153. Carolus PESCHEUR, Rhemensis, cum annos quatuor in collegio Bellovaco-Præleo, duos in Calvico, primo semper in ordine docuisset et docendi septennium compleret, Galliæ procurator electus est 17. decembris anno 1612; habuitque successorem D. Grangerium, virum rectorium, gymnasiarcham et classicum, doctorem Harcurianum, ex eadem tribu Rhemensi, quæ Nationi multos ac bonos procuratores dedit.

II, fol. 83 v°. Joannes PESCHEUR, e pago Bongniaco, vulgo Bongny, prope Feritatem Aleps natus, cum e gremio pauperum emersisset, septennium integrum grammaticorum et rhetorum fluminibus præfectus rexisset apud Montanos, tandem ad Calvicum gymnasium appulsus, quadriennium ibidem juventutem docuit; qui, cum publica munera fugeret, quinque tribuum suffragiis, pro laudabili consuetudine convocatis in æde Mathurinorum, honorandæ Nationis Gallicanæ designatus ac nominatus est procurator anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, 7. idus aprilis.

J. PESCHEUR.

II, fol. 95 v°. Anno redemptæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo nono, 14° calendas decembris, Claudius PETIT JEAN, Campanus, diocesis Trecensis, post quadriennium continuo in rhetoricis ac humanioribus literis edocendis revolutum, 3°, 2° et 1° ordinibus, partim in Cardinalitica, partim Plæssæa, necnon Dormana alias Bellovaca scholis præfectus, cumque in regio Campaniæ alias Navarræ lycæo bursarius Theologus esset, pacifice omnium consensu, apud ædem D. Mathurino sacram, a quinque viris designatoribus, more solito, habitis comitiis, electus est et honorandæ Nationis Gallicanæ procurator a M. J. Rousseleto Senonensi, non minus

fideli historico quam subtili Montis Acuti physico philosophante, fuit nominatus et designatus, anno sui magisterii septimo.

II, fol. 96. Ejusdem Petit Jean magistratus tempore fuit a lite vindicata domus, ubi pendet pro insigni simul cum Æthiopis capite Squaquarium, in vico Straminis, juxta ædem Deo et sanctis Innocentibus dicatam; quæ quidem domus anno Domini 1555, mense junii, fuit Nationi restituta, ut patet per contractum (vili pone precio in longos annos datum) de conductione illius a grammateis, videlicet a Cruce et Joyeux, exscriptum. Proinde vero, anno Domini 1565, julii 31, iterum de ejusdem locatione in suprema curia causa suscepta et ad hoc nostrum tempus, contra M. Ludovicum Fournier, Catherinam Denise, Robertum Yon, J. Le Tonnellier, M. S. Le Tonnellier et complures in decreto vel aresto (ut aiunt) supremi senatus comprehensos et ascriptos, 1569, 17ª octobris, ita æque et feliciter, referente venerabili et apprime justo D. Nicolao de Toul, postea episcopo Carnotensi, D. archidiacono, viro senatore, consule piissimo, Andiosorum fautore, acta et peracta est, ut rei sua omnino causa ceciderunt. Et pronunciatum est : « Quod dicta domus omnino simul cum emolumentis, recisa conductione veteri et prorsus extincta priori (salvis tamen solutis liquide deducendis, prefatisque reis mulcta impensarum ejusdem instantiæ condemnatis) » nostræ Nationi reddita est. Tunc ad unguem supremi senatus prolata sententia observata est, cæremoniisque per compita publiceque in æde D. Eustachio sacra cum tribus comitiis, more solito, in æde Mathurinorum habitis, conducibiliori et legitime conducenti dicta domus a successore meo D. procuratore et aliis suppositis ad utilitatem ejusdem Gallicanæ Nationis remansit pacifice locanda, servatis servandis.

Is quoque ad ornamentum dignitatis procuratoriæ, antiquæ clamydis loco, novam alteram cappam emendam curavit.

Fol. 170 vº. Magister Stephanus A MINORI VILLA, diocesis Uticensis, electus fuit in procuratorem venerande Nationis Gallicane, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto, die vicesima quarta augusti.

Fol. 54. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo, die vero undecima mensis februarii, electus fuit magister Ludovicus PICOT, diocesis Cenomanensis, regens prime classis grammatices in regali collegio Navarre, in procuratorem venerande Nationis Gallicane, nemine refragante.

L. PICOT, procurator.

II, fol. 140 et vº. Sylvius A PETRAVIVA, Pedemontanus, bacchalaureus Theologus et socius Sorbonicus, cum apud Plessæos logicam ac natu-

ralem philosophiam explicaret, legitime convocatis apud Sanctum Mathurinum comitiis, Gallicanæ Nationis conspirantibus in eamdem sententiam omnibus tribubus, procurator renuntiatus est quinto calendas martii, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio.

S. DE PIERREVIVE.

Cujus magistratus cum in id tempus incidisset quo Joannes Bonvoisin, rector, novis importunisque consiliis Facultatem Artium a reliquis ordinibus corrigi ac reformari volebat, cum id non tam ad reformandam quam defformandam ejusque omnem libertatem penitus eripiendam spectare videret, ejus opera fortissime Rectori restitum est, ita ut ab incepto desistere sit coactus.

S. DE PIERREVIVE.

II, fol. 29 v°. Simon PETREIUS, Meldensis, Varreddæus, confecto primo in philosophia curriculo in scholis Cardinalitiis, secundum aggressus in gymnasio Beccodiano, cum philosophiam naturalem in eodem collegio profiteretur, summo omnium applausu et consensu, sine vi, comitiis in æde Mathurinorum pro more habitis, quæ indixerat vigilantissimus procurator magister Nicolaus Le Myre, procurator est designatus anno a Christi nativitate 1546, 14. die mensis januarii.

S. PIETRE.

— PINEUS (Renatus). Voir DUPIN.

Fol. 8, 145 v° et 189 v°. Aquilinus PLUYETTE, diocesis Parisiensis, electus fuit in procuratorem honorande Nationis Gallicane, unanimi omnium prefate Nationis suppositorum consensu, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo, die decima mensis februarii.

II, fol. 40 v°. Anno ab orbe redempto 1550, 3. nonas maii, habitis ex consuetudine comitiis in æde Mathurinorum a quinque electoribus provinciarum, Dionysius PLUYETTE, Parisinus, apud Bonos Pueros quarto grammaticorum ordini præfectus, procurator honorandæ Nationis Gallicanæ summo omnium applausu est electus.

Dionisius PLUYETTE.

Fol. 189. Guillermus PLUYETTE, Meldensis diocesis, electus est in procuratorem anno Domini millesimo quingentesimo XIII°.

Fol. 171. Cunctis pateat evidenter quod anno Domini millesimo quingentesimo XIII°, die vero IX^a^ mensis maii, in presentia dominorum decanorum et mei Guillermi Pluyette, procuratoris alme matris mee Nationis Gallicane, dedit Guillermus Quinette, electus in nuncium diocesis Venetensis, summam XVI. solidorum paris.,

que fuit posita in coffro sigilli officiariorum, et in vigilia Penthecostes alius nuncius similiter xvi. solidos paris. In cujus rei testimonium ego procurator hoc presens signavi scriptum anno et die prescriptis.

G. Pluyette.

Anno Domini millesimo quingentesimo XIII°, die vero prima mensis junii, in presentia dominorum decanorum et mei Guillermi Pluyette, procuratoris, extracte fuerunt littere obligatorie cautionis venerabilium virorum magistrorum Philippi de Guosieres, Erardi Cousin, et similiter littera obligatoria colendissimi magistri nostri Oliverii Bourges, de summa viginti scutorum ad coronam, ad prosequendum eos ut persolvant debita. Item eodem die dedit Robertus Guerini, nuncius diocesis Auxitanensis, xvi s. p.

G. Pluyette.

Fol. 189. Jacobus Pluyette, Meldensis, anno Domini millesimo quingentesimo VII°.

II, fol. 95. Gabrieli Pot, cum multorum et maximorum, cum in scholam Cænomanam, tum in Plessæam ac demum Navarream, meritorum ejus fama pervagata esset, Natio Gallicana rem suam ad quadrimestre credidit et, quinque tribuum deputatis renunciantibus, procuratoria dignitate eum insignivit secunda junii 1569.

Fol. 53 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo tertio, decimo quarto calendas decembres, Robertus de Poupeville, Parrhisinus, electus est in procuratorem Nationis Franciæ.

R. de Poupeville.

II, 65 v°. Joannes Prevost, diocesis Parisiensis, humaniores artes quadriennio professus, deinde cursum philosophicum apud Montanos ingressus, habitis pro more comitiis apud Mathurinos, a quinque decuriarum designatoribus, nullo prorsus reclamante, declaratus est procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die vigesima quinta augusti.

II, fol. 110 v°. Petrus Primet, Parisinus, cum studiosæ juventutis informandis animis meliorem ætatis partem non in natali solo tantum, sed etiam extra lares patrios satis feliciter (ut ferebatur) consumpsisset, maxime vero postquam apud regiam Navarram per triennium integrum humaniores literas professus bonam operam navasset, inter sacratissimæ Theologiæ candidatos ab alma Facultate primum assumptus, deinde etiam fidejussione procerum ejusdem domus florentissimæ Theologus alumnus ab Andium reverendissimo præsule Ruzæo nominatus est. Ne autem a studio de re

literaria benemerendi postea removeretur, sed potius ut illius meritorum fama pervagaretur, æquam laborum vehementer exantlatorum mercedem ei persolvere Academia, Mathurinensibus comitiis pro antiqua et laudabili consuetudine solemniter convocatis, quinque centuriis referentibus ex quaque lectissimis viris, omnium et singulorum approbatione, procuratoria purpura et fascibus honorandæ Nationis Gallicanæ illum quarto Navarræorum ordini præfectum anno sequente millesimo quingentesimo septuagesimo quarto insignivit, 12. calendas novembris, qui nonus a magisterii suscepta laurea numerabatur.

Ad perpetuam hujus magistratus memoriam pertinet quod, die 5 novembris, M. Johannes Deniset, universæ rei literariæ clavum tenens, consentiente Facultate Artium, Julianensibus comitiis, censuit et conclusit primarios ac præceptores, qui gentem Jesuitarum discipulorum præsentia decorarent vel eorum prælectionibus audiendis ipsimet adhærerent, per Nationum censores admonendos ut ab istis abstinerent, alioqui privilegiis et honoribus Academiæ privarentur. Quæ conclusio, quia senatusconsultum de Jesuitis convellere aut aliquo modo labefactare videbatur, a superioribus Facultatibus primum non est probata, sed ad deputatos relata die 12 decembris, quo tempore delata est ex Maldonati notationibus ab ipso rectore de intemeratæ matris Virginis Conceptione Parisiensi theologiæ (ut ipse dicebat) non consulenda sententia, cum de supplicatione ad sacrum Palatii sacellum apud Mathurinos ageretur. Sequenti luce, ad rectorem Haricurianum inita sunt comitia selectorum, in quibus de illa Julianensi conclusione firmanda, perjuriis ex quaque Facultate colligendis pro terminanda lite apud supremam curiam pendente, deque Maldonati sententia diceretur. Sed, propter opinionum varietatem, concludi nihil potuit, tum quia maturiore deliberatione frequentioribusve comitiis rem seriam peragi debere visum est, tum etiam quia Maldonatus, a toto cœtu per apparitores accersitus, adesse recusavit. Rector sui magistratus finem imminere cum adverteret, ut suæ in parentem communem benevolentiæ locupletissimum testimonium posteris exhibendum relinqueret, post biduum, qui dies erat penultimus sui rectoratus, ad Mathurinos celeberrimum cœtum recepit, ad quem iterum Maldonatus convocaretur, qui forte antea cum suis deliberandi spatium concupiisset, vel privatum Rectoris cubiculum exhercuisset. Illud quidem est statutum Julianensem ejusmodi recentem conclusionem supremi senatus constitutioni nihil refragari, litem communibus Facultatum sumptibus persequendam ad finem, Maldonatus cum tota factione Jesuitana temerarius et rebellis proclamatus omnium calculis et ad Parisiensem episcopum negotium illud theologicum relatum, quando preter expectationem fautorum ejus, qui ex deputatis tunc erant, toti Aca-

demiæ obsequium tutissimum denegare non dubitaverit. Die 15. ejusdem mensis, haud absque bonorum dolore, magistratu cedere Denisetum compulit, virum certe dignum, confessione omnium, annis Nestoreis et cui toti vite tempore veteris dignitas committeretur. Sed ita cessit, ut ea se ditari non passus sit prius quam Jacobus de Cueilly, successor designatus, sacramento jurejurandi se astrinxerit ac perceperit se causam Academiæ omnibus et corporis et ingenii viribus amplexurum, donec fascibus rectoriis ut clava Herculis Jesuitarum hydram contuderit, vel tanquam Augiæ stabulum Lutetiam hac colluvione fecis purgaverit. Faxit Deus.

II, fol. 55 v°. Antonius Prunier, Lingonensis, postquam tum Remensem, tum Plessæam juventutem literas humaniores, Haricurianam vero logica docuisset, Gallicarum quinque tribuum benevolo suffragio Nationis Gallicanæ procurator creatus est calendis junii anno 1555.

Tempore hujus magistratus domus Squaquarii, quæ vulgo dicitur a Lite, vindicata est et Nationi restituta; contractus vero de illius conductione a Cruce et Joyeux grammateis excriptus est, quod fusius in conclusionibus procuratoris ipsius declaratur.

Fol. 186 et 189 v°. Nicolaus Quelain, diocesis Cenomanensis, procurator anno Domini 1508.

II, fol. 103. Joannes Quethe, Parisinus, tertius Barbaranus, in procuratorem electus apud Mathurinenses anno Domini 1572.

Vulneratus Gaspar Collinius, admiralis, ictu catapultæ, paulo ante meridiem 23. mensis augusti 1572; mortuus est 24. Hæretici omnes internecione sunt deleti.

Fol. 9 v° et 186 v°. Joannes Quintinus, Heduus, fuit in procuratorem venerande Nationis Gallicane [electus] anno Domini 1521°, 9 calendas octobris, nemine contradicente.

II, fol. 109 v°. Petrus Quyneffault, primo Montanorum ordini præfectus, cum in inferioribus ejusdem collegii ordinibus informandis puerorum animis septem annorum spatio summam dedisset operam, singularum tribuum suffragiis atque consensu procuratoriis fascibus decoratus est anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, idibus mai.

Hujus magistratus tempore, Charolus IX, Galliæ rex Christianissimus, anno ætatis suæ vigesimo quarto, e vivis excessit anno 1574, die Pentecostes; cujus rei causa animi dolor quem ex Hugonotorum conspiratione ceperat potius quam alius morbus recensetur.

II, fol. 141 et v°. Vincentius Raffarius, Juliodunensis, procurator

Galliæ renunciatus est comitiis Mathurinensibus anno a salute per Jesum Christum mortalibus restituta CIↃ IↃ XXC III, XII. kalendas novembris.

Idem, VI. kal. novembris censorem Nationis creavit Jacobum Julianum.

Rationes collegii Cenacii, alias Sancti Michaelis audivit IIX et VII. kalendas decembris; quibus audiendis preesse debet aut procurator Nationis aut decanus provinciæ Bituricensis, ut in constitutionibus collegii præscriptum est.

Biraguio cancellario et cardinali parentavit Academia mense decembri.

Prorector comitiis Mathurinensibus renuntiatus est, egrotante D. Bartholomeo rectore, XIIX. kal. januarii; supplicationes decretæ ad sacra regiæ Navarræ pulvinaria.

Finito sui magistratus tempore procurator II. comitiis Mathurinensibus, laudante Natione universa, renuntiatus est XVII. kalendas januarii.

Quo die procurator II. factus, comitiis Juliennensibus, rectorem creavit D. Joannem Hamellum.

II, fol. 56. Petrus RAVYN, Parisinus, postquam juventutem Plessæam, Coquereticiam et inclytæ Justitiæ et Marchianam aliquot annos in grammaticis docuisset, Marchianos dialecticam docens, conventu quinque tribuum apud ædem Divi Mathurini, illarum suffragio tranquillo et paratissimo creatus est procurator Nationis Gallicanæ ad nonum calendas octobris anno 1555.

Fol. 53 et 152 v°. Emericus REGNART, Vindocinensis, procurator Galliæ, anno Domini 1537, cum primos Marchiani collegii doceret.

Fol. 136. Emericus VULPIANUS, procurator Gallie, primus Marchianus, anno Domini 1537.

Fol. 142 v°. Emericus WLPIANUS, Vicedonensis, creatus est procurator perillustris Nationis Gallicane, confirmatis centuriis, nulla largitione subornatis, singulari renuntiatorum integritate, in ede Maturinorum, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, die vigesima quarta mensis septembris.

E. WLPIANUS.

Fol. 105 v°. Magister Petrus REMON, diocesis Parisiensis, venerande Nationis Francie procurator fuit electus anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto, die vero decima nona mensis novembris, in regali collegio Burgundie.

II, fol. 63. Bertrandus DE RENTILLY, Parisiensis, anno Domini 1557, nonis aprilis, cum septem annos in grammaticis docuisset, duos in gymnasio Remensi, quinque vero in celeberrima Plæssæa

schola, habitis, pro more, apud Sanctum Mathurinum comitiis, una omnium voce magnoque applausu, a quinqueviris designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ procurator creatus est.

Hujus tempore, quod potius præteriri debuit, inexpiabili scelere Pratum Clericorum violatum incendio cujusdam adolescentis, quem scholasticum vulgo dicebant, quod non sine maxima totius Academiæ Parisiensis jactura factum est. Tandem obita legatione a præstantissimis viris totius Academiæ, diplomate regio concessum est ut apud delectos viros jus nostrum persequeremur et pœnas sceleratis ab hostibus recepimus.

Fol. 122 v°, 1 et 142. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto, die vicesima prima mensis octobris, electus est in procuratorem honorande Nationis Gallicane magister Urbanus Reversey, Borynensis, diocesis Andegavensis et provincie Turonensis, dum regeret intrantes, a quinque viris intrantibus : magistro Eustachio Crombet, magistro Johanne Chaponi, magistro Nicolao Burrette, quondam procuratore, et magistro Johanne de . . . . ., similiter procuratore aliquando, denique magistro Sebastiano; nemine refragante in Natione.

U. Reversey.

Fol. 189 v°. Petrus Richard, Nivernensis diocesis, procurator anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo.

Fol. 186 v°. Joannes Riolanus, Ambianus, procurator.

Fol. 7. Anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono, die vicesima secunda mensis decembris, congregata fuit Natio per juramentum super tribus articulis : primus super dispositione prelati; secundus super reformatione dominorum procuratorum; tertius super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad tertium dominus Fortunatus, collegii Plessyaci primas meritissimus, nominatus Robertus Dure, alias Fortunatus, coram tota Natione supplicuit, ad requestam et supplicationem dominorum decanorum magistrorum dicte Nationis, ut a cetero viginti aurei qui solebant dari receptori dicte Nationis pro dono gratuito tollerentur, et quia provincia Parisiensis est prima et nunc in turno, vult dicta Natio quod ab ipsis isti viginti aurei tollantur, et ita fuit conclusum anno et die supradictis.

Anno predicto, die vero nona mensis januarii congre[ga]ta fuit per juramentum Natio Gallicana, more consueto, super duobus articulis, quorum prior est super novorum officiariorum electione; secundus supplicationibus et injuriis. Quoad secundum, supplicuit dominus decanus provincie Senonensis ut Natio haberet injungere futuro receptori ne aliquem haberet bachalarium, licentiatum, vel magistrandum ejusdem provincie Senonensis admitere, nisi prius

receptor dicte provincie certifficaverit rectori se recepisse confratriam divi Anthonii, cui supplicationi tota Natio annuit.

C. Roillet, procurator.

II, fol. 30 v°. Claudius Roillet, diœcesis quidem Heduensis, patria vero Belnensis, Lutetiæ Parisiorum, in regio Burgundionum lycæo, grammatices professor, cum juventutem in eodem collegio per quatuor annos erudiisset, ad quartum nonas maii anni quadragesimi sexti supra mille quingentos a Christo passo, accitis per apparitores, edicto domini procuratoris Petri Ruffi, illustrissimæ Nationis Gallicanæ comitiis et de successore deligendo ad Divi Mathurini pro veteri more coactis, summo omnium consensu, quietis quinque designatoribus, ex ipso die ejusdem Nationis procurator electus est et singulari adgratulatione probatus.

II, fol. 79 v°. Gulielmus Rose, Calvomontanus, diocesis Lingonensis, postquam juventutem toto triennio apud regiam Navarram docuisset, convocata Natione Gallicana ad ædem Divo Mathurino sacram, omnium consensu, a viris ex quaque tribu selectissimis, renunciante domino Arnoul, procurator ejusdem Nationis est designatus, quarto nonas maii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto[1].

II, fol. 93 v°. Petrus Roseau, Nationis Gallicanæ procurator, 1568. In collegio Montano dialecticus et methaphisicus.

II, fol. 100. Petrus Rosey, Trecensis, physicus et philosophantum apud regiam Navarram hypodidascalus, indictis, ut moris est, comitiis, uno eodemque consensu omnium, a quinque tribuum Gallicarum designatoribus lectissimis viris, renunciante domino Guyton, Nationis Gallicanæ procurator est creatus anno Domini 1571°, die vero nona februarii.

Hujus magistratus tempore Carolus Valesius, hujusce nominis nonus, Lutetiæ incredibili cum apparatu ac splendore sexta martii exceptus est, quemadmodum postea Elisabetha Austriaca, ejusdem Caroli regis uxor, præfati mensis die vicesima nona.

P. Rosey.

II, fol. 36 v°. Johannes Rougeot, Cabilonensis diœcesis, patria Caldenayus, post eruditam Lutetiæ Parisiorum in classico apud Montanos auditorio juventutem, in celebri Rhemorum gymnasio philosophiæ doctor, sexto calendas septembres anni a Christo nato supra milesimum quadragesimi octavi, coactus per accensum clarissimæ Nationis Francicæ comitiis ad Divi Mathurini ædes, uno sin-

---

1. Addition du xvii° siècle : « Doctor Navarricus et episcopus Sylvanectensis ex magno regiæ Navarræ magistro factus. »

gularum decuriarum provincialiumque consensu, per quinqueviros ejusdem Nationis procurator illustrissimo atque peritissimo viro Rodolpho Charpentier subrogatus et comprobatus est.

II, fol. 90 v°. Joannes Rousselet, Senonensis, absoluto triennio apud Cardinalitios et Becodianos in juventute literis humanioribus informanda, phylosophicum cursum in lyceo Montano aggressus, convocata in ædem Mathurinorum Natione Gallicana, a designatoribus quinque decuriarum, omnium consensu et calculo, procurator illustrissimæ Nationis Gallicanæ est constitutus anno Domini 1567, 18. calendas januarii.

Rousselet.

II, fol. 30. Petrus Ruffus, Druida, convocata in ædem Mathurinorum Natione Gallicana, ejusdem Nationis, omnium approbatione et consensu, procurator electus est, comitiis tranquillis quidem et sedatis, sed incerto procuratorio, ut a duobus inter quos suborta erat contentio in eum sit locum et ordinem cooptatus, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die vero 10. martii, sexto idus.

P. Ruffus, Druida, Carnutensis, classicus in schola Cardinalis.

Pratrum Clericorum non venale fuit intercessione Ferrandi Debez contra conatus summos rectoris Dorival, Petri Gallandii et quorumdam theologorum.

II, fol. 146. Franciscus Rungette, Cænomanensis, in collegio Marchiano humaniorum literarum professor emeritus, habitis pro more Nationis honorandæ comitiis apud Mathurinenses, omnium suffragiis procurator ejusdem Nationis designatus est die decima octobris 1669.

Rungette.

Fol. 48 v°. Simon Sagnier, Belnensis, diocesis Heduensis, a munere procuratorio egre satis sese abdicavit, septimo idus martii, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo tertio, in quo presagitum ab astrologis fuerat diluvium, quod Deus, hominum misertus, et Gallicanos inimicos salvos esse volens, maximo nostro dispendio posteris reservavit.

Sagnier.

Fol. 143. Anno a Christi incarnatione sesquimillesimo vicesimo octavo, Anthonius Saillart, diocesis Parisiensis, celebratis solemniter comitiis apud Mathurinos, a Natione Gallicana, matre sua, nullo ex liberis ejus se interjiciente, donatus est magistratu procuratorio decimo octavo kalendas januarias.

Anthonius Saillart.

II, fol. 118 et v°. Guido a Sancto Paulo, Delphinas, cum in primis

scholæ Calvicæ duos annos, in Becodianæ totidem ordinibus juventutem literis humanioribus informasset, Plesseorum classicorum ordini præfectus, celebratis frequentissimis in æde Maturinensium comitiis, uno omnium quinque tribuum Nationis Gallicanæ consensu, dum vir spectatus et cognitus D. Guinefaut, Montanorum metaphisicorum dux renunciaret, laureatis procuratoriæ dignitatis fascibus 22° augusti est ornatus anno 1576.

Hujus magistratus tempore, rex Henricus, hujus nominis tertius, universæ Galliæ comitia haberi voluit, quæ cum Academiæ significasset, dominus de La Faye, primarius Burgundianus, a Gallicana Natione electus est, qui Academiæ querelas in his explicaret.

Eodem tempore, Natione in ædibus Mathurinensibus convocata, Egidius Thome, mercator et civis Parisiensis, commorans in vico Sancti Anthonii, in nuntiatum diocesis Pergamensis, vacantem per mortem Petri Prevotii, suffectus est.

Eodem tempore, supplicantibus Arvernis, Johannes Boissi nuncius diocesis Sancti Flori constitutus est.

Eodem tempore, conclusum fuit in gymnasio Navarrico, 27° septembris, ut majores distributiones ex quibus solitum ////////////// presentibus distribuerentur.

Eodem tempore, cum dominus Moreau et dominus de Fougeray, eodem anno corona laurea donati, de decanatu Turonensi contenderent, dominus de Fougeray (eo quod actu regeret) victor evasit.

Fol. 129. Franciscus DE SALAMANCA, diocesis Burgensis, munus procuratorium adeptus est 3a maii anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo.

Franciscus DE SALAMANCA.

Fol. 189 v°. Johannes SALTERION, diocesis Nivernensis, procurator fuit anno Domini millesimo quingentesimo septimo.

II, fol. XIX. Leonardus SARRAZIN, Lugdunensis, regalis collegii Navarræ bursarius Theologus, collegii Cardinalis Monachi metaphysicorum preceptor, a quinque designatoribus provinciarum, unanimi consensu, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est nunciatus anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, kalendarum 12° octobris.

L. SARRA.

Fol. 128 v°. Nicolaus SAXIEN, Remensis diocesis, procurator venerande Nationis Gallicane creatus est anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto, die vero decima martii.

II, fol. 117 et v°. Thomas SCOURJON, Marlyacus, diocesis Parisiensis, cum in superioribus scholæ Marchianæ ordinibus tres annos erudiendæ juventuti operam dedisset, philosophicum curriculum apud Cardinalitios aggressus, celebratis in æde Mathurinensium comi-

tiis, firmissimo quinque designatorum ex totidem tribubus Gallicanæ Nationis consensu, renuntiante Claudio Alemano, secundo Marchianorum ordini præfecto, procuratoria dignitate idibus januariis cohonestatus est anno 1576.

Hujus magistratus tempore, senatusconsultum de reformanda Academia ab omnibus et singulis ad id convocatis in ædem Mathurinensium deputatis et præceptoribus comprobatum est, excepto articulo de reformatione Jesuatarum, quos senatus tanquam Academiæ alumnos videbatur illius gremio concludere.

Eodem tempore, solemnibus comitiis Mathurinensibus, ad supplicationem censoris Gallicani, decrevit Natio Gallicana illis procuratorios fasces non esse committendos, qui in suspitionem infamiæ non temere venissent.

T. Scourjon.

Penes eundem claves, liber et sigillum Gallicanæ Nationis per dies octo retenta sunt, ex mandato Clementis Jacob rectoris, ob violentam et turbulentam successoris electionem; singulari tamen et benevolo senatusconsulto ei concessa sunt.

Fol. 188. Joannes Segueneau, diocesis Nivernensis, intrantum Harcurianorum preceptor, et regalis collegii Navarræ bursarius Theologus, comitiis apud Sanctum Mathurinum habitis, die decima sexta mensis decembris declaratus fuit procurator honorande Nationis Gallicanæ, nemine reclamante, designatoribus ejusdem : in provincia Parisiensi, magistro Francisco Landry, bursario Theologo Navarre; in Senonensi, magistro Gulielmo Benart, Burgundionum quarto grammatico; in Remensi, magistro Philippo Tozet, sacellano meritissimo collegii Bellovaci; in Turonensi, magistro Pagano Lebret, bacchalaureo Theologo et regalis collegii Navarre bursario; in Bituricensi, magistro Joanne Martel, phisico Harcuriano, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto.

J. Segueneau.

Fol. 142 v°. Adamus Sequart, diocesis Parisiensis, collegii Cardinalis Monachi bursarius, electus fuit in procuratorem honorande Nationis Gallicane, nemine reclamante, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo nono, secunda die junii.

A. Sequart, procurator.

Fol. 53 v°. Jacobus Spiphameus, Parrhisinus, electus est, nemine reclamante, ad procuratorium venerandæ Nationis Gallicanæ munus exercendum, octavo kalendas septembres, anno sesquimillesimo vigesimo secundo.

Fol. 107 v°. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, septimo idus martii, electus fuit procurator venerande

Nationis Gallicane magister Franciscus Symard, diocesis Bisuntinensis, baccalaureus formatus, regens phisicorum in venerabili collegio parve Sorbone, apud Sanctum Mathurinum, nemine refragante, a quinque pacifice intrantibus : magistro Francisco Guillebon, Parisiensi, logicorum moderatore in collegio regali Burgundie ; magistro Richardo Mareschal, Senonensi, intrantum duce apud Navarre collegium ; magistro Francisco Canuel, Prelano ; magistro Lodovico Picot, Turonensi, apud Navarricos humanarum litterarum interprete clarissimo ; magistro Joanne Vacceo, apud Lexovicos bonarum litterarum professore.

II, fol. 73. Claudius Symon, Remensis, post edoctam a se juventutem in grammaticis apud Marchianos, in inclita Cardinalitiorum achademia philosophiæ professor, ibidemque bursarius Theologus effectus, habitis pro more comitiis ad Divi Mathurini, a quinque tribuum designatoribus honorande Nationis Gallicanæ procurator est electus anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, die decima februarii.

II, fol. 90. Rhodolphus Tablet, procurator, mense novembri 1567 ; in collegio Cardinalitio.

II, fol. 22. Nicolaus Taillet, Remensis, regens actu in artibus in collegio Cardinalis Monachi, electus fuit a quinque designatoribus singularum provinciarum illustrissimæ Nationis Gallicanæ procurator anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, postridie festi divi Ludovici, mense augusti.

II, 69 *bis* v°. Franciscus Taulpin, diocesis Suessionensis, cum per triennium in Justitiano, Burgundiano et Bonorum Puerorum gymnasiis literas humaniores docuisset, deinde tertio celeberrime Cardinalitiorum academiæ ordini præfectus esset, convocatis apud Mathurinos et habitis pro more comitiis, a quinque tribuum Gallicarum designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ, communi omnium voce nulloque prorsus reclamante, procurator est electus et creatus anno Domini 1550, die decima tertia mensis januarii.

II, fol. 75. Blasius Thiebault, diocesis Cathalaunensis, patria vero Barroducanus, physicus apud Marchianos, coactis more solito ad ædem Divo Mathurino sacram Gallicanæ tribus quinque centuriis, ad quartum nonas martias, summa omnium consensione, declaratus est et creatus Nationis Gallicanæ procurator anno Domini 1561.

II, fol. 112. Claudius Thoaillier, diocesis Lingonensis, provinciæ vero Senonensis, cum per quatuor annos juventutem apud Cardinalitios et Barbaranos docuisset, benevolo Gallicanæ Nationis tribuum suffragio apud Mathurinorum ædem, tertio Barbaranorum

ordini præfectus, magistro Fovelet, philosopho subtili, renunciante, procurator est creatus anno Domini 1575, die septima aprilis.

Hujus magistratus tempore, propter sacrilegium sanctissimæ Crucis in sacro Palatii sacello supplicationes a Majestate Regia et domino Tissart, rectore, fuerunt habitæ.

C. Thoaillier.

II, fol. 101 v°. N. Tissartus, cum docuisset artes ad humanitatem pertinentes tres annos in regia scola Burgundionum, duos in Barbarana, quinque Nationis Gallicanæ decuriis consentientibus, procuratorium quadrimest[r]em magistratum adeptus est, cujus tempore contentio inter scriptores tum publicos, tum eos qui privatim docerent, dirempta est.

N. Tissart.

II, fol. 137 v°. Hieronymus Tonnelier, diœcesis Senonensis, patria vero Venisinus, cum quinque annos in regio Burgundionum collegio juventutem edocuisset, dum quarto præesset ordini, habitis pro more comitiis in æde Mathurinensium, uno omnium consensu, a quinque viris designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est designatus 7. idus aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

H. Tonnelier.

II, fol. 140. Hieronymus Tonnelier, diœcesis Senonensis, comitiis apud Mathurinenses pro more habitis, a quinque designatoribus Gallicanæ Nationis procurator iterum est nominatus 4. calendas januarii, anno Domini 1582.

H. Tonnelier.

II, fol. 38 v°. Procurator M. Petrus Touzet, medicus, 1548, mense aprili, ante Pasca.

II, fol. 68. Antonius Tramblay, diocesis Parisiensis, cum aliquot annos juventutem in famatissimo Bonorum Puerorum gymnasio erudiisset, idem in florentissima Marchianorum schola aggressus, habitis, pro more, comitiis apud Mathurinos, a quinque tribuum designatoribus honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est declaratus anno Domini millesimo quingentesimo [quinquagesimo] nono, die vero septima mensis aprilis.

Eo ipso die, quo procurator est creatus, de pace inter Principes composita a preconibus publicis plebs Lutetiana certior facta est.

Fol. 179 v°. Magister Nicolaus Truyart, diocesis Silvanectensis, electus est in procuratorem pacificum, intrantibus discretis viris et magistris Johanne Vacet, Guillelmo Bertet, Guillelmo Cavenet, Yvone Magnet et Johanne Cædin, anno Domini millesimo quingentesimo XVIII°, xxvi^a augusti.

Fol. 171 v°. Cunctis pateat evidenter et sit notum quod anno Domini millesimo quingentesimo XVIII°, xvi^a die vero mensis octobris, preclara Artium Facultate solempniter convocata super electione novorum reformatorum et pacificanda discordia orta inter magistrum Johannem de Vico, primarium collegii Parve Sorbone, alias de Calvi, et magistrum Johannem de Ruello, regentem summulistarum ejusdem collegii, ab honoranda Gallorum Natione taliter deliberatum, nemine obviante, extitit.

Primo, quoad priorem articulum, delegit predicta Natio pro exequendo munere reformatoris scientificum virum magistrum Nicolaum Guerin, in saluberrima Facultate Medicine bacchalareum, cui injunxit ut singula visitet pedagogia, eadem in melius reformando, tam quoad capita quam quoad membra, et presertim predictum collegium de Calvi. Quoad alterum articulum, plurimum egre tulit predicta Natio obstinationem predicti primarii, qui ternas conclusiones tam Facultatis quam deputatorum ejusdem fecerit irritas, nullomodo eis obtemperando, nec ab eisdem appellando, et quod injurias gravissimas in facie Facultatis, tum reformatoribus, tum deputatis ipsius Facultatis, palam ausu temerario ductus intulerit. Quare voluit predicta Natio, his causis attentis, ut predictus primarius suo privaretur primariatu, sic quod nullus illius collegii scolasticus admittatur ad aliquem actum vel gradum predicte Facultatis Artium, aut reputetur tempus acquirere in eadem, nisi prius prefatus primarius, in facie Facultatis veniam de illatis injuriis postulans, predictum regentem summulistarum in pristinum restituat statum, ipsum dimittendo uti pacifice regentia, camera, portione et quibuscumque aliis in regentia consuetis. Inhibuit insuper prenominata Natio suis bidellis et subbidellis ne, sub pena privationis ab officiis eorumdem, attentent aperire scholas alicui scolastico predicti collegii, vel aliquem recipere ad aliquem gradum vel actum prefate Facultatis. Et ita, nemine reclamante, conclusum extitit per me Nicolaum Truyart, tunc procuratorem ejusdem Nationis; in cujus rei testimonium et robur huic conclusioni signum meum manuale duxi apponendum anno et die prescriptis.

N. TRUYART.

II, fol. 78 et v°. Joannes VALERIUS, ortus e Spina, qui ad Cathalaunum pagus est nominatissinus, cum apud Justitianos, tum apud Plessæos, non tam quidem molesto quam jucundo literas humaniores profitendi labore perfunctus est, celeberrimis honorandæ Nationis Gallicanæ comitiis pro more habitis, a viris ex quaque tribu selectissimis in honorificentissimum procuratoris magistratum, acclamantibus undique cunctis, evectus est 14° kalendas decembris 1563.

Hunc librum, cum vetustate disruptum, tum nescio quorum chartoryparων maculis contaminatum, prisco restituendum nitori sedulo curavit, nonis januarii 1563.

Hujus tempore a lectissimis procuratoribus et prudentissimis ex quaque Natione deputatis, ad sapientissimum rectorem dominum a Sancto Germano convocatis, maturo quidem judicio, et habita, cum statutorum quæ sarta tecta semper esse optandum est, tum hujusce temporis, cui aliquid aliquando condonare sapientis est, æquissima ratione conclusum est et statutum, ne posthac duobus ordinibus quisquam in hac Academia præficiatur, nisi prius hujus rei faciendæ a tota Artium Facultate celeberrimè congregata veniam pro rationum suarum æquitate supplex impetrarit.

II, fol. 40. Nicolaus VALLET, presbiter Parisiensis, Sorbonæ baccalaureus et juvenum ecclesiasticorum Sti Joannis in Grævia superior, honorandæ Galliarum Nationis procurator ann[o] 1686[1].

— VALLOT (Antoine). Voir BAUDART.

II, fol. 48. Claudio VARICQUET cum plerique omnes Galli gratularentur, quod in Haricuriana schola fœlix philosophiæ curriculum absolvisset et secundum apud Plesseos in logicis ageret, quinque decuriarum uno eodem consensu, Gallicane Nationis eum procuratorem designarunt, quid majus aliquando daturi, duodecimo calendas novembris anno Domini 1552.

Fol. 186. Magister Joannes VASSETZ, diocesis Meldensis, electus est procurator mercurii vigesima 2a septembris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo.

II, fol. 61 vo. Joannes VASSONGNE, Remensis, cum sex annos in grammaticis docuisset, tres in gymnasio Calvico atque tres alios in Barbarana schola, habitis pro more apud ædem Divo Mathurino sacram comitiis, a quinque viris designatoribus, uno omnium consensu, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est creatus ad quartum idus februarias, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo.

Fol. 144 vo. Antonius DE VEGE, diocesis Lingonensis, electus est in procuratorem venerande Nationis Gallicane, sedatissimo omnium consensu apud Mathurinos, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo, die vicesima sexta mensis augusti.

A. DE VEGE.

II, fol. 148. Petrus VERRIER, Turonensis, licentiatus Theologus, e regia societate Navarrica et collegii Turonensis primarius, habitis pro more apud Mathurinenses comitiis, unanimi omnium consensu honorandæ Nationis procurator electus est, die 10 octobris 1674.

VERRIER.

II, fol. 50. Nicolaus VIGNER, diocesis Senonensis, patria vero

1. Tout le début biffé, et en marge : « Hic, cujus nomen deletum est, magistratum abdicare jussus est. »

Agendicensis, cum aliquot annos juventutem in famatissimo Bonorum Puerorum gymnasio erudiisset, idem in regali Burgundiæ domo aggressus, habitis in æde Mathurinorum solemnibus comitiis, 7. idus aprilis, anno vero Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, post Pascha, summo omnium consensu, a singulis provinciarum calculum ferentibus procurator honorandæ Francorum Nationis est creatus.

II, fol. XVI v°. Michael Villenes, Parisiensis, postquam quinquennium in grammaticis erudivit juventutem in celeberrimo Divæ Barbaræ gymnasio, necnon post quietem a docendi munere impetratam uno et eo amplius anno elapso, comitiis pro more denuntiatis, quinque designatorum una voce, singulisque classibus ad id vocatis consentientibus, nemine prorsus refragante, honorandæ Nationis Gallicanæ procurator est declaratus, in claustro apud Mathurinos, anno ab orbe redempto millesimo quingentesimo tricesimo octavo, die vero lunæ decima sexta decembris.

II, fol. 147 v°. Franciscus Vinot, Tricassinus, baccalaureus Theologus, e regiâ societate Navarricâ, habitis pro more apud Mathurinenses comitiis, unanimi omnium consensu honorandæ Nationis procurator electus est, die decima octobris, anno Domini 1658.

Vinot.

Fol. 141. Joannes Visorius, Cænomanus, Burgundionum classicus, comitiis amplissimis incredibilique suffragantium omnium concordia procurator Gallicus apud Sanctum Mathurinum creatus est anno Domini sesquimilesimo tricesimo quinto, die secundo junii.

Visorius, procurator.

II, fol. XVI. Michael Visosus, natione Portugallus, diocesis Visensis, peracto philosophiæ curriculo in gymnasio Plesseio, ibidemque eodem fœlicius repetito, procurator Nationis Gallicanæ designatus est, suffragantibus decanis et præceptoribus ejusdem Nationis, 13. calendas septembris, anno Domini 1538.

II, fol. 67. Rœmundus de Voultoire, natus Aurillaci, in diocesi Sancti Flori, cum secundorum ordini famatissimæ scholæ Barbaranæ præesset, quartum agens annum juventutis in grammaticis erudiendæ, habitis pro more sacris comitiis in æde Divo Maturino sacrata, a quinque tribuum designatoribus summa cum tranquillitate honorandæ Nationis Gallicanæ procurator designatus et creatus est anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die vero decimo septimo calendarum januarii.

— Vulpianus. Voir Regnart.

INDEX ALPHABÉTIQUE.

Extrait des *Mémoires de la Société de l'Histoire de Paris et de l'Ile-de-France*, t. XLI (1914).

Nogent-le-Rotrou, imprimerie Daupeley-Gouverneur.

9